Q. D. B. V.

De

NOCTAMBULIS,

DISPUTATIO PRIOR,

Quam

VVITTEBERGÆ

Ad D. XXIIX. SEPTEMBRIS, A. C. clↄ. lↄc. XLIX.

Disquisitioni sistunt publicè

PRÆSES

M. SAMUEL POMARIUS,

SILESIUS,

ET RESPONDENS

JOHANNES FABIGER,

WITTEBERGENSIS.

Habebitur in Auditorio Minori, horis matutinis.

EDITIO QVARTA.

WITTENBERGÆ,

Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

Anno clↄ lↄc LXXXVI.

SOmnus Animali ob ſalutem divinitùs datus eſt. Movetur grave corpus de loco ad locum, muſculosqve inſtrumenta motûs fatigat nimium quantum. Sensûs etiam externi ipſi ſaturantur ac delaſſantur ad extremum plus ſatis, videndo, audiendo, guſtando, olfaciendo, tangendo. Hinc abſumuntur Spiritûs animales ſenſim ac ſine ſenſu, motûs ac ſensûs omnis principia. Nec res hunc teneræ poſſent perferre laborem, ſi non tanta qvies iret laborem inter, & exciperet ſomni indulgentia vigilias. Nam qvod caret alrernâ reqvie, durabile non eſt. Solvitur ergò in dulcem ſoporem animal, & refectionem quandam ac inſtaurationem virium præſtolatur. Maſſa tùm cibi, qvæ ptiſanæ morem in ventriculo induerat, in chylum transformatur expeditiùs, & venarum lactearum ope ad epar traducitur. Qvieſcente namqve facultate animi, naturalis validiùs agit. Ut vitales ſpiritûs primùm generentur, qvibus animales originem debent, cor calorem ad ſe & vicina membra trahit, ſpiritui naturali coqvendo elaboraudoq;. Hinc frigidiora noctu exteriora membra, ob calorem in ſomno retrogradum. Calor circa cor auctus ebullit identidem, & è ventriculo, ceu ex ollâ qvâdam ednliis pluribus refertâ, vapores ac exhalationes continuæ verſus cerebrum miſſæ radicibus nervorum illabuntur, eorumqve ſinûs ac meatûs obſtruunt. Jejunis cæteroquin ac famelicis ob id ſomnus brevior rariorqve, qvia nihil qvod è ventriculo adſcendat, ſuppetit. Hinc deinde intercipitur copioſior vitalibus ſpiritibus ad ſuperiora adſcenſus, & animalibus ad inferiora deſcenſus. Jacet ergò immotus truncus, & qvietem capit innocuam, usque dum alimento percocto calor ad externa rurſum diffundatur, vaporesqve in capite diſcutiat, & ad organa motûs ſenſuumqve ſpiritibus viam ſter-

nat ac reſtauret. Tunc experrecti omnes robuſtiores evadunt & vegetiores, & acres alacresqve qvod inſtat agunt. Major poſt ocia virtus. Tanta tàm divini Beneficii nobilitas, utilitas tanta! At ut nihil ab omni parte beatum, nec uſpiam fermè purpuram ullam fauſtitatis contempleris, cui non lacinia aliqva miſeriæ attexta: ita & hoc commodum incommoda propè non minora excipiunt, quæ in animalia, ac principem animantium Hominem, pleno redundant alveo. Non tangam id, qvod Plutarchus habet: *Cùm exiguum vitæ tempus datum ſit hominibus, ſomnus velut publicanus dimidium ejus aufert.* Nam ad uſus hic fit rei optimæ, & iniqva detractio annorum noſtrorum. Impudens eorum qverimonia eſt, qvi naturam accuſant, quod hominis vitam tàm anguſtis ſpaciis finierit, cùm ipſi ex eo, qvod datum eſt, ſibi ſpontè tantum amputent. Vigilia eſt vita noſtra, & hoc diutiùs homo vivit, qvò majorem temporis partem operis ſuis impendit. *Dum iſta (ut ait M. Varro) musſitamus, pluribus horis vivimus,* dicit Plinius Præfat. H. N. Ariſtoteles hinc *L. V. de generat. animal. c. 1.* ὁ δ᾽ ὕπνος εἶναι δοκεῖ τὴν φύσιν τῶν τοιούτων, οἷον τὸ ζῆν καὶ μὴ ζῆν μεθόριον, καὶ οὔτε μὴ εἶναι παντελῶς ὁ καθεύδων, οὔτε εἶναι. Et Plinius eleganter *L. VII. c. 50. Malignum verò & breve in his etiam, qvibus largisſimè contigit, univerſum utiq; ævi tempus contuentibus. Qvid, qvod æſtimatione nocturnæ qvietis dimidio qvisq; ſpacio vitæ ſuæ vivit? Pars æqua morti ſimilis vivitur aut pœnæ, niſi contingit quies: nec reputantur infantiæ anni, qui ſenſu carent, nec ſenectæ in pœnam vivacis.* Nec in illud excurram ſpacioſiùs: cùm ſomnia nos fallaci ludunt temeraria nocte, gaudiaqve ambiguâ dantque negantq; fide. Sæpè qvoqve ſub primum ſomni tempus cutis horrore, totum corpus rigore inæqvaliter concutitur, ac præter voluntatem agitatur: ſtimulatâ nempè Facultate expultrice in partibus membranoſis à

frigore

frigore aut aliâ acri mordaciqve re, ac musculis in ambitu corporis in consensum tractis ac ad concussionem talem concitatis. *In cogitationibus visionum nocturnarum, qvando cadit sopor super homines, pavor evenit mihi & tremor, & multùm ossa meæ pavere fecit: & Spiritus eorum me transivit, horribiles fecit pilos carnis meæ: stetit & non agnoscebam conspectum ejus, imago coram oculis meis erat, & tenuem vocem audivi,* dicit Eliphas Themanides *Jobi IV. 13. 14. 15.* Et Jobus ipso qveritur, noctes laboriosas sibi multas fuisse *Cap. VII. 3.* Nec res me aut verba deficerent, super eo somni symptomata edissere aliquid, cùm aut humor pituitosus, sive vi narcoticâ præditus, cerebrum irrigando, ac spiritûs animales torpidos reddendo Lethargum inducit Carumvè, hoc est inexpugnabilem dormiendi necessitatem: aut ex opposito propter nimiam inediam, siccitatem cerebri, exhalationum svavium defectum, spirituumvè agitationem non intermissam, sensus communis ac externi ultra modum ac tempus constitutum exercentur, & immodicis vigiliis præter naturam destinentur. Qvid incubo memorando incumbam, infausto ac infesto dormientibus malo? Ubi juxta Virgilium *XII. Æneid.*

——— neqvidquam avidos extendere cursûs
Velle videmur, & in mediis conatibus ægri
Succidimus, nec lingva valet, nec corpore notæ
Sufficiunt vires, nec vox aut verba seqvuntur.

Vapores crassiores in hypochondriis ac venis mesaraicis collecti, ubi scil. propter primæ coctionis multa excrementa sangvis impurior plurimis hæret, in thoracem ascendentes, diaphragma & pulmones comprimunt, ac respirationem intercipiunt. Quibus in fauces qvoq; ac cerebrum insinuantibus, & posteriores cum primis cerebri meatûs, qvi ad initium spinalis medullæ tendunt, obstruentibus, vox ipsa eliditur,

 sensus

ſenſus ac mens obturbatur, viſisqve triſtibus offenditur. Accedit Phantaſia, milleformis Proteus, ac Idolum oneris alicujus incumbentis ſibi imaginatur, à qvo ſupprimatur corpus & ſuffocetur tantùm non. Non aliter ac ibi, cùm in aliqvâ corporis parte latens cauſa morbi aut dolor præſtò jam eſt, Anima hoc ſentiens, vulnerari ægrum, à beſtiis morderi, aut crus lapideum habere ſomniat. Talia aliaqve ſunt, qvæ interturbant animalium reqviem, & præſtigiis ac terroribus infeſtant non paucis. At ſufficiat ea hîc primoribus retigiſſe digitis. Unum eſt, qvod verſandum nobis paulò ſtudioſiùs impræſentiarum ſumſimus, & publico exponendum. Iſtud, inqvam, cùm certos hominum conſtat certo tempore, ubi ſomno jam dedêre pridem ſe, forti qvâdam Imaginatione motos ſurgere iterum, & ignaros omnium qvæ agunt, oculis modò clauſis, modò apertis, hinc inde oberrare in domo, feneſtras, ſcalas, turres ipſas conſcēdere, ædes reſerare ac obſerare, & ad ſummā, ea patrare, qvæ ſanis vigilantibusq; indecora aut induta. Mira res, dormire hominem pariter ac vigilare, & nec dormire tamen, nec vigilare. Ita Sensûs externi cum Locomativâ in libertate captivitatem, & in captivitate libertatem ſuam habent. Mirabimur iſta, & qvantum pote, diligenter rimabimur. Juvet nos Vigil Cuſtos Iſraëlis, qvi neq; dormit!

§. I.

QVò autem de hoc dubio hominum ſtatu indubii aliqvid afferre liceat, ab eo cumprimis punctо totius hujus tractationis linea ducenda erit, qvod Homonymiam nobis tollat. *Errori ſiqvidem affinis ambiguitas eſt*, Scaliger *Exerc.* CXLVIII. *4. Et ſine diſtinctione vocis ambiguæ, velle ad rei conſiderationem venire, eſt velle tempus perdere.* Galenus *l. 1. de method. c. 5.* Sunt aliqui, qvi furum raptorumqve imitati indolem noctu iter faciunt, qvò fallant ſecurius, & ſub umbone tenebrarum opera ſua tenebrarum tegant fidentiùs. De

qvibus

qvibus Horatius *lib. 1. Epist. 2 vers. 32.*

Ut jugulent homines, surgunt de nocte latrones.

Possunt & Noctambulis accenseri Studiosi illi Lovanienses, qvorum proterviam Jesuita Bellarminus ita perstringit *Tom. VI. Oper. Conc. 6. Qvis ignorat, multos esse, qvi Lovanium veniunt, ut Doctores fiant in Jure, & fiunt Doctores in choreis & in gladio? Qvàm multi sunt, qvi cùm ad Parentes suos redeunt, si qværatur ab eis: qvid Lovanii didicistis? responsuri sunt, si verum dicere velint: didicimus vagari totas noctes per plateas: didicimus districto gladio bellum gerere cum lapidibus: didicimus multa & nova genera chorearum: didicimus uno haustu bibere medium poculum: didicimus pecunias nostras, qvæ unum mensem duraturæ erant, unâ horâ consumere.* Notemus hæc obiter, & oggeramus ea Socio Cardinalis Contzenio, acerbè nimis ac virulenter Almæ Wittenbergæ nostræ ob luxatã laxatamq; Scholariũ disciplinam insultanti *Lib. IV. Politic. c. 14.* Ὅπου καὶ τὸ ἐχθρὸ μαρτύριον. Si tamen alieno luto nostras maculas eluere possumus. Qvadrat huc oppositè, qvod B. Frantzius movet *part. 1. Histor. Animal. c. 25. Qværi solet ab Eruditis joci gratiâ, utrum in unâ urbe possint esse Antipodes? & respondetur affirmativè. Nimirum antipodes nostri sunt nostri belluones, qvibus habent diem seu lucem, qvando nos noctu dormimus, & vicissim ipsi dormiunt, cùm nos in die seu luce operamur.* Sed de his agere, nec operarum nunc, nec partium nostrarum est. Ciceronis illud in *Læ*lio cogitamus: *Satis superq; esse sibi suarum cuiq; rerum curam, alienis nimis implicari molestum esse.*

§. 2. Dantur &, qui per plana iter faciunt, ac intereundum connivent ac obdormiscunt, dormientesqve aliqvousq; progrediuntur. Ut & aurigas ita vidimus eqvis insidentes ac semisomnes, scuticam nihilominùs validè moventes; aut mulierculas cunas agitentes, & somnu tamen indulgentes.

Hunc

Hunc in modum Galenus de seipso scribit, *Lib. 2. de motu musculorum cap. 4. Sedentes sæpè quidam dormierunt, & nonnulli deambulantes: & hoc equidem audiens, antea non credebam. Cùm autem fuit opus aliqvando per totam noctem iter facere, experientiâ rem ipsam edoctus, coactus sum credere. Fermè enim stadium integrum dormiendo peregi & somnia videns, nec prius excitatus sum, quàm in lapidem impegerim, & id est profecto, qvod non permittit dormienti iter facere longum qvia non potest exactè lævem viam nancisci. Id igitur solis expertis credibile est.* Sed nec hi propriè ad nostram spectant Andromachen. Non è lecto surgunt, qvippe jam antè ad qvietem consultò compositi, ut Nostrates. Non à Phantasiâ ad ambulandum aut movendum se impelluntur, sed jam inantè ambulabant, jam inantè movebantur, & nunc semisopiti ac levisomni, qvàm vigilantes orsi fuerant telam, dormientes aliquandiu pertexunt: idqve item ex semisse.

§. 3. Eos ergô intellectos hîc volumus Noctambulos, qvos Jacobus Horstius Medicus Helmstadiensis, in erudito suo Tractatu *de Naturâ, Differentiis & Causis eorum, qvi dormientes ambulant*, tùm seorsim excuso, tùm illi annexo, qvi est *De aureo Dente maxillarii Pueri Silesii*, Cap. IV. ita describit: *Noctambulones sunt homines inæqualis complexionis, aut frigidioris aut humidioris, aut utriusq; simul in cerebro: ne ideò in valdè profundo somno sensûs & motûs nonnulli ferientur, & calidioris sicciorisq; cordis & epatis, ita ut calore sangvinis astuent, & agilitate spirituum mens, cerebrum, & organa alia motûs in illis, ad movendum sese spontè, ac varia opera Locomotivæ peragenda, qvâm promtissima evadant.* Levinus Lemnius *De occ. naturæ miraculis l. 2. c. 5.* ita de iis: *Contingit nonnullos in florenti eqvidem vividaq; ætate (nam seniculi utpote spiritu vitali vel extincto, vel flacido, tale quiddam moliri nequeunt) intempestâ nocte, vel antelucano, exilire, ac Lecto se subducere, quæq; accessu aditûq; vigi-*

lantibus

lantibus sunt difficillima perficere, eaq; tàm inoffensè peragere, ut nemini non spectantium admirationem stuporemq; incutiant: qvod si illos non interpelles, nec ab incœpto revoces, sensim se denuò in lectum referant. Aristotelis classicus hanc in rem Locus est *Lib. V. de Gen. animal. c. I.* Συμβαίνει καὶ καθεύδουσιν αἴσθησις τοῖς ζώοις, οὐ μόνον τὰ καλούμενα ἐνύπνια καὶ παρὰ τὸ ἐνύπνιον, καθάπερ τοῖς ἀνισταμένοις καθεύδουσι καὶ πολλὰ πράττειν ἄνευ τοῦ ἐνυπνιάζειν εἰσὶ γάρ τινες οἱ καθεύδοντες ἀνίστανται, καὶ πορεύονται βλέποντες, ὥσπερ οἱ ἐγρηγορότες, h. e. *Accidit dormientibus etiam animalibus sensus, non modo qvæ somnia vocantur, sed etiam præter somnia, ut iis, qvi dormientes resurgunt, & qvidem pleraq; agunt sine somnio. Sunt enim qvi dormientes resurgant, & ambulent videntes eo modo, qvô qvi vigilant.* Hos Noctambulos aut Noctambulones pleriqve Autorum vocant. Rectius forsan Somnambulos dixerimus, cùm etiam sani noctu ambulent: judice Dn. SENNERTO *Lib. 1. Pract. Medic. part. 2. cap. 19. & Instit. Medic. l. 2 part. 3. sect. 1. c. 7. p. 316.* it. *sect. 2. c. 4. p. 406.* & post eum Dn. D. MARTINI p. m. *Centuriâ VI. Quæst. Illust. Disp. 3. Quæst. 4.* Item Exc. Dn. SPERLINGIO Tractatu *de Animâ Sensitivâ Cap. XV. Qvæst. 5.* Nobis integrum erit prius retinere nomen, usu magis tritum, & huic affectui dudum speciatim vindicatum. De cætero tamen in vocabulis nemini litem intendemus, modò res constet. Nominum possessio neminem facit divitem.

§. 4. Ordine autem ut progrediamur, *sine qvo natura constare non potest, & quo nihil vel in animo vel in opere Sapientis admirabilius est.* Scaligeri præconio *Exerc. II.* tribus includemus Membris totam Dissertationem. Primùm Exempla aliqva & Historias Noctambulorum dabimus ex Clarissimis Viris. Tùm quod Exempla in Physicâ Scientiâ utramque faciunt paginam, & cum Ratione ei fundamenti vice sunt: tùm qvod ad τὸ διότι progressus haud patet, nisi prius τὸ ὅτι con-

ſpicuum: tùm quod ſurdo narraremus fabulam, ſi rudiores quosdam nomen ac res omnis adhuc lateat, cujus in rationes inquiratur anxiè. Nam & Galenus ipſe, quod ſuprà audivimus, antea id noluit credere, tandem Experientiâ rem ipſam edoctus, coactus eſt credere. Et Horſtius ipſiſſimis his verbis laudatum modò Librum orditur: *Multi ſunt, qui cùm vel cauſas, cur dormientes in ſomno ambulent, omniaq́ opera peragant, ignorent, vel ipſi tales nunquam viderint, nihil eorum quæ dormientes perficiunt, utut à fide dignis vel doctioribus referri audiunt, credant.* Deinde in cauſas tàm admirandi affectûs penetrabimus nos pro viribus. Et tandem Quæſtionum Colophonem aliquam addemus.

§. 5. HISTORIAS quod ſpectat, eas ex multis ſelectiores ecce ſeqventes. P. Salius Diverſus, Medicus ac Philoſophus Faventinus, *De Affectibus particularibus cap. 18.* ſic ſcribit: *Juvenem novi, qui ſomnians ſe propter negotia ſua equitaturum eſſe, è lecto ſurgens, indutus veſtimentis propriis, cothurnisq́ & calcaribus appoſitis, ſuper feneſtram (nam in tabulato degebat) conſcendit, & hinc indeq́ divaricatis cruribus parietem, perinde ac ſi equus eſſet, & voce ac calcaribus ad curſum incitabat: hic ex ſomno expergefactus, tanto horrore correptus eſt, cogitans ſe per ſomnium mortem ferè ſibi ex præcipitio conſciviſſe, ut me die ſequenti conſuluerit ad prohibenda hæc inſomnia, quæ ipſum ad obeunda vigilantium munia deducebant. Alterum curavi, qui cum naturâ jurgioſus & contentioſus cum aliis foret, ut plurimùm ſomniabat ſe cum aliquo manum conferre, indeq́ ſurgens è lecto arma capiebat, gladiumq́ evaginatum furioſè vibrabat, perindeque ac cum inimico pugnans, undiq́ parietes & circumſtantia loca percutiebat, hunc ſolum in thalamo dormientem claudere, armaq́ omnia inde auferre, ne vel ſeipſum vel alterum gladio confoderet, impoſterum neceſſarium fuit, tàm diuq́ ſo-*

lus

lius permansit dormiens, quàm diu se cognovit à talibus insomniis deprehendi. Præter hos artificem cognovi, qui dormiens è lecto surgebat, è thalamoq́; exiens domum ferè totam peragrabat, scalasq́; nullo discrimine adscendebat & descendebat. Hic semel nullis indumentis amictus exiens apothecam propriam adivit, eamq́; clavibus aperuit, à quâ demum expergefactus ab amicis, qui ei fortè obviam facti fuerunt, maximâ cum verecundiâ & timore, dubitans, ne inde stultus existimaretur, non ampliùs dormiens, sed vigilans redivit. Libavius *ait part. 2. Sing. p. 266. Novi sartorem, qui ebrius de nocte surgebat ad naturæ postulatis satisfaciendum, neq́; tamen id satis vigilanter. Cùm ergò redire ad thalamum vellet præteriens fenestram in cavædium spectantem, nec clausam, manuq́; quasi spondæ latus adesse sentiens, errore deceptus cùm se injicere lecto vellet, in vacuum decidit, & tunc demum à lithostrato areæ inferioris sublatus, vix longo tempore à quassatione membrorum convaluit.*

§. 6. Horstius *Cap. 1.* memorat: *Tres nobiles in arce Bernstein, juvenes, & sat bellicosi fratres, in eodem cubiculo dormiunt, quorum unus nudus è somno surgit, indusium manibus secum aufert, è lecto sese subducit, silens pergit ad fenestram, corripit funem è trochleâ pendentem, & in domûs fastigium prorepens, incidit in nidum picarum, quem diripit ac dissipat, pullos indusio involvit, iterum descendit, ambulat, & ad lectum se confert, pullos cum indusio ibidem abscondit, & bene dormit. Manè expergefactus cum fratribus loqvitur, nihil scit, nisi quod qvasi per somnium recordatur, fratribus suis hæc verba refert: Narrabo vobis mirabile somnium, visum sum mihi surgere è lecto, ambulare, penetrare ad domûs fastigium, nidum picarum disturpare, pullos aufferre mecum: alii ipsum rident. Nihilominùs post hæc & alia colloquia surrecturus, quærit in lecto indusium, sed illud pullis circumdatum*

 pullosq́;

pullosq́ vivos invenit, omnes ad turrim accedunt & nidum fractum expugnatumq́ vident. Ita videlicet in hoc non Phantaſia tantùm tàm fortis fuit, ut ageret, quod de die forſan cogitârat, ſed & memoria tàm fidelis, ut poſt ſomnum retineret, quod in ſomno egerat. Ibidem: *Noſtis in hâc viciniâ aliqvem, cujus pro concione mentio facta eſt, die 24. Martii noctambulonem fuiſſe, qui cum è lecto ſurrexiſſet, de ſcala deſcendiſſet, iter magnum per aream ædium feciſſet, in culinam venit palpitando, puteum ingreſſus eſt, & parieti digitis manuum pedumq́ firmiter adhæſit nudus, induſio tantum indutus, nec aquam in puteo niſi fimbria induſii palmæ qvantitate tetigit, ſpontè expergefactus fortè gelidæ aquæ contactu clamat:* O mein Bein/ helfft mir. *Domeſtici auditâ & agnitâ voce, illum quærunt, putei parieti affixum manibus pedibusque inveniunt, ſcalam cum lucernâ illi porrigunt, ſed cùm hâc ratione redire non poſſet, urnam illi demittunt, monentes ut ad eam dextro pede ingrediatur, textrâ verò manu catenam apprehendat, ſeſe extractum iri, quod feliciter factum eſt, ſed valdè refrigeratus in puteo, & in lectulum deportatus obmuteſcit, & vix palpebras easq́ rariùs, nec niſi valdè excitatus aperit.* Schenckius *Lib. 1. Obſervat. 127.* ex Adriano Alemanno refert: *Referunt qvendam Pariſiis gladio cinctum* Sequanam *fluvium tranâſſe, eumq́ interfeciſſe, qvem vigilans interficere propoſuerat, ac poſt patratum ſcelus domum rediiſſe, quod ſi verum eſt, qvis corpore quieſcente animum dormire putabit?* Ibidem ex Textor. in Offic. *Theon Stoicus dormiens paſſim ambulabat, quo etiam morbo laboravit ſervus Periclis, adeò ut dormiens in ſumma tecta reperet.*

§. 7. Celeberrimus DN. D. SENNERTUS habet hæc *Paral p. IX. ad Lib. 1. Pract. Medic. Henricus ab Heer Obſerv. Medic. oppidò rarar. 2. refert, juvenem quendam, cùm in celebri Academiâ Poëſin profiteretur, interdum mentem in o-*

mnia

omnia versâsse, ut versûs melius elaboraret, sed quod vigil nequiverat, noctu præstitisse, surrexisse, pluteum aperuisse: scripsisse, sæpè aliâ voce, quod scripserat relegisse, demùm cum risu & cachinno sibi ipsi applausisse, atq; contubernalem, ut secum plauderet, hortatum esse, positisq; sandaliis & veste, clauso pluteo, chartisq; ut vesperi fecerat, repositis, lectum repetiisse, somnumq; dum excitaretur, protraxisse, omnium quæ noctu egisset, ignarissimum: manè pridianâ sollicitudine adhuc laborâsse, quomodo hiatûs versuum repleret. Cùm vero chartas ad suum libitum impletas, idq; suâ manu, videret, attonitum quasi & sollicitum fuisse, boninè an mali genii opus esset. Idem cùm uxorem duxisset, eam tamen ut fert conjugii conditio quædam celârat, quoties noctu infantum cunis ereptum utplurimum gestans, domum perambulabat, comitanti per omnia uxori quæcunq; rogatus patefaciebat & ad omnia uxoris quæsita verissimè respondebat, ita ut ab ambulante & quasi dormiente, quæ â vigili mulier nullis extorsisset illecebris aut artibus, quæ rogare erubuisset, simplici interrogatiunculâ sincerè & sine fuco intelligeret, mirante postea noctambulo, quomodo quæ secretissima habebat, in uxoris cor linguamq; venissent. Sub annum ætatis 45. somnambulare desiit, nec unquam sopitus lecto se movit, nisi prius vino se nimis replevisset. Sad ad bonam causam cùm vel tria verba sufficiant, satis superqve, qrantum conjicio, è tot testibus elucescet veritas omni exceptione majoribus.

§. 8. Nunc ad CAUSAS pervestigandas animum appellimus, è quibus unis vera scientia. *Τότε γὰρ οἰόμεθα γινώσκειν ἕκαστον, ὅταν τὰ αἴτια γνωρίσωμεν τὰ πρῶτα, καὶ τὰς ἀρχὰς τὰς πρώτας, καὶ μέχρι τῶν στοιχείων*, docente Aristotele I. *Phys.* 1. Latent autem eæ nimiopere, & abstrusæ in profundo Democriti puteo non nisi laboriosâ cum ope inde exantlantur. Non tamen difficultati cedit industria mens, sed audentior it contrà

& hoc divitiores gazas repertura ſperat, quò profundiùs ſe in Naturæ ſinûs immerſerit. Senecæ illud penſi habens *Epiſt. 23. Levium metallorum fructus in ſumno eſt: illa opulentisſima ſunt, quorum in alto latet vena, aſſiduè plenius reſponſura fodienti.* Mittimus autem ſtatim Cauſas SUPERNATURALES, quas admittunt aliqui. *Divinum* eſſe, quod illaſi conſerventur ambulones iſti, & præter ordinem naturæ divinitùs in iis aliquid contingere, tradit Horſtius *Cap. 2.* Animam hominis tùm multò præſtantiorem mentem aſſumere, & multò majora ſuis potentiis vel viribus, ac planè divina agere. Quod expergefacti, ſtantes adhærentesqve periculoſisſimis locis non cadant, omnem ſanè captum rationis humanæ & phyſicæ doctrinæ excedere. In apprehenſione adeò vehementi tàmdiu vires naturales perdurare, nec defatigatione remittere, reverâ aliquid divini miraculoſique eſſe. Libavius *p. 252.* huc etiam hiſtoriam Petri ex Actis Apoſtolicis accerſit *Cap. XII. 7. ſeqq.* qui ſomnians quaſi è carcere educitur per Angelum, quod ille non prius agnoſcebat, quàm procesſiſſet per ſat longum vicum, & Angelus diſcesſiſſet. Nos omninò Glorioſum Creatorem Noſtrum in omnibus cogitationibus & actionibus, in omnibus nutibus ac motibus noſtris præſupponimus. Verè *in ipſo vivimus, movemur & ſumus, Actor. XVII. 28.* At per media tamen agit ordinariè, qui Principium & Finis rerum omnium, & conſtitutum à ſe ſemel Naturæ curſum haut interturbat de facili: Unde cùm in hâc ſubſiſtere datur, quid velis temerè ſublimiùs adſcendere, hâc nonnunquam fini, ut lapſu graviore ruas. Petri è carcere eductio ex miraculorum genere citra dubium fuit, qvibus opus erat ut crederet mundus, antequam crederet. Hoc largimur. Cætera verò qvod attinet, pleraque omnia ex cauſis naturalibus altiùs perſpecta decidi poſſunt. Anima hominis libera tùm eſt ab im-

pedimento corporis, & in se regressa spirituali modo, admiranda gignit ac pingit phantasmata, ab organorum ac sensuum externorum famulitio non stipata interim ac distracta. Erudite Sajus Diversus *l.c. Anima corpori annexa, ut docet Hippocrates in libello de insomniis, eidem dum vigilat homo, ita inservit, ut in multas partes distributa singulis corporis partibus sive sensibus aliquam sui partem distribuat, videlicet auditui, visui, tactui, gustui, actioni, ac omni corporis facultati, in hacq; distributione non sui juris est anima, sicuti nec in cogitatione: non enim non potest Corpori suas facultates impertiri, & non potest continuè aliquid non cogitare. Cùm autem Corpus quiescit, anima adhuc in motu est, corporis partes omnes perreptans, easdemq; gubernat, & omnes corporis actiones perficit. Nam corpus dormiens non sentit, ipsa verò vigilans cognoscit, ac visibilia videt, & audibilia audit, vadit, tangit, tristatur, gaudet, considerat: & in summâ quæcunq; corporis aut animæ munia sunt, ea omnia anima ipsa in somno obit, dum anima sive vigilando sive dormiendo hæc agit, semper omnia quæcunq; agat, mediantibus spiritibus, qui sunt propria & immediata ipsius animæ instrumenta, exsequitur.*

§. 9. Quod majora tentant viribus suis nomines isti, & quæ vigilantes vix obirent, depravatio intellectûs est, qui densâ quasi vaporum caligine obductus obfuscatur, & metu omni solutus ac futurorum securus quidvis cœco impetu præcipit. Nulla ibi periculi æstimatio, nulla loci editioris cum depressiore collatio: non affectus affectum elidit aut collectos spiritus animumque in unum intentum ad multa diffundit. Ita ebrii ac delirantes pari temeritate ac incogitantiâ summis se periculis objiciunt, eaque patrant opera, quæ sobrii ac sani haut facerent. Tenacissimè etiam prensant Nostri, quicquid ceperint. Puerum quendam Horstius me-

us me-

us memorat *Cap. 1.* quoties post cœnam omnibus adstantibus in somnum incideret, adeò profundè eo oppressum fuisse, ut nullâ voce, nec forti commotione facilè excitari potuerit, & excitatus à somno, ac in lectum iterum deportatûs dormierit, manè verò nihil de iis omnibus quæ peregerat, vel alii cum ipso perfecerant, sciverit, quicquid autem apprehenderet, sive mensam, sive clavum in pariete, sive mantile, sive vestem, tàm firmiter tenuerit, ut manûs ejus vix duo aut tres aperire ac inde auferre possent, ita ut sæpè vestis illi in manibus potiùs relinqueretur, & unà cum ipso in lectulum deportaretur, donec expergefactus spontè dimitteret. Nempe nervos firmatos ibi adesse oportet, robur item corporis, musculos validos, ac artûs qvoqve hirtos ac penè ἀναισθήτους, quò non sentiant asperitates parietum. Adde, quod vis unita fortior, & quas Anima opes aliàs hinc inde dispertiri, ac nunc huic, nunc illi membro succenturiare debebat, nunc unis manibus pedibusque impertit. Quod non cadunt è sublimi, aut consvetudini in alto versandi, aut cerebro sicciori instar avium vel tegulariorum, aut spiritibus admodùm fixis adscribendum, qui ex altissimis locis sine vertigine despiciunt. Funambulorum & petauristarum opera, funum adversum aut erectas perticas adscendentium, circulatorum item per horæ quadrantem aut ampliùs instar turbinis se rotantium, interimque gladios nudos, cultros, sicas & similia innoxiè tractantium, quin & multa fila in foramen acûs intrudentium, haud minùs advertenda sunt. In Circumcisione Mahumetis Arabs quidam vetustam pilam seu columnam quadrangularem admodùm excelsam, absque omni sustentaculo evidente adscendit. *Timidis nimirum nobis* (verba sunt Libavii pag. 269.) *& pigritiâ corporis torpidis, & molliculos ungves cũ nervis enervatis habentibus res ultra fidem humanam videtur: at non perinde agilibus & audacibus impossibilis est.*

§. 10. An-

§. 10. *Angelos* quoque has in partes trahunt. Horstius dicit *Cap. 2. pag. 17. Sanctis Angelis præter ordinem Naturæ illis ministrantibus & alleviantibus merito suam hâc in parte laudem & gratiam tribuimus*. Bodinus *l. 3. Dæmon. cap. 6.* eos qui inaccessa loca dormientes conscendunt periculosaque præcipitia, & in offenso pede per se revertuntur, à maligno spiritu duci putat. Libavius *p. 252.* illum, quem Horstius notavit, qvi per scalas descendens in puteum irrepsit usque ad aquam, à genio quodam eò perductum opinatur. Quomodo & eveniat aliquando viatoribus fessis, ut aberrantes à viâ ad lacûs deducantur, præsertim in silvis, ubi videntur sibi lumina videre, quæ aliis sunt ignes fatui, aut inter hiatûs arborum prospicientes è summo è regione positas cœli stellas credunt lumina pagorum esse. Haut abnuimus iterum, ex divinâ Providentiâ Bonos Angelos custodire nos in omnibus viis nostris, ac manibus portare, ne ad lapidem illidamus pedem nostrum; malos contra genios in animæ corporisque nostri extremam perniciem dies noctesqve intentos tanquam Leones rugientes obambulare, quærentes, quem devorent. Vicissim saltem illud ingeminamus: non arcessenda longè esse, nobis quæ cohabitant: hoc est, extra naturam quærenda non esse, quæ in eâ ubivis liceat offendere. Minimè gentium autem *Superstitione Papisticæ* aures manûsqve damus, quæ malè baptizatis hanc ambulationem inter dormiendum contingere putat, quibus in Baptismo Sacerdos aliquid verborum vel ceremoniarum omiserit. Nam præterquam quod *Experientia hoc vanissimum testetur*, dicente Horstio *cap. 3. in fine*, fundamentum ipsum qvoqve, cui destina hæc innuitur, lubricum ac ruinosum est oppido. Integer satis efficaxque Baptismus est, destitutus licet sit Magicis illis verborum demurmurationibus ac Ceremoniarum ineptiis, quæ mandato & promisso Dei prorsus vacant. Ludibria Dæmonis sunt, qui sic à regiâ Verbi divini viâ in humanorum commentorum præcipitia & avia abducit credulum ac stultum vulgus.

§. 11. NATURALES ergò Causas Symptomatis istius unicè attendimus. Eas duûm facimus generum: Generales unas, Speciales alteras. GENERALEM Causam voco, quæ communis est omnibus talismodi Affectibus præternaturalibus. Eam duplicem constituo, Principalem, Animam; & Instrumentalem, Phantasiam. ANIMÆ omninò Sensitivæ, & quæ ejus vicem muniaque omnia in Homine fungitur, Rationali, prin-

 cipes

cipes debentur partes in Comediâ hâc. Actionem hîc habemus aliquam, non eam quidem sanam integramqve, sed læsam, nec abolitam tamen prorsus, sed diminutam & depravatam. Ejus ergò fons ac origo prima vestiganda est. Quam non exhibent nobis nuda & cruda accidentia, sed substantiæ & Forma cum maximè. Ab hâc fluunt tria iste Naturæ momenta: Esse, distingui, operari. *Ipsa namque forma illorum sanè accidentium perfectio est, atque hæc sunt illius quasi apparitores: ipsa autem Princeps. Nullum accidens agit, nisi per vim suæ substantiæ*, differit Scaliger *Exerc. VI.3.* Verum quidem aliàs est de animâ nostrâ, quod idem Subtilitatis Magister habet *Exerc. CCLXV. Ejus substantia tametsi esse quit sine corpore, tamen dum est in corpore, sine corporeis objectis non potest initiari, ut ita dicam, sacris intellectionis: ergo ne agere quidem.* At in somno ea quasi extra suum corpus est, & juris sui facta, sensuumque regimine tantisper suspenso, nunquam minùs ociosa est, quàm cùm ociosa. Habet tùm in unum collectas vires suas, qvas alioquin hinc inde ad functiones partium distribuere par ac opus erat. Pluribus intenta minor erat ac singula: nunc defuncta operis, quieti se dat, secumque moratur, admirando sibi themata ac phasmata proponens. Rectè hinc Plinius *L. XI. H. N. Cap. 75. Est somnus nihil aliud, quàm animi in medium sese regressus.* Et Scaliger *Exerc. CCLXXXIX. Somnus à Deo factus non solùm, qvod quidem rectè ajunt, ad corporis recreationem, sed etiam ad animæ libertatem. Qui enim, si ad officia spectes, propemodum plantæ vitam vivamus dormientes: voluit, ut tùm verè viveremus. Nam servus eo tempore liber est, atq; etiam dominus evadit aliquando, per insomnia. Pravorum animi suppliciis afficiuntur, per insomnia. Bonorum atq; Sapientum, veritatis investigatione, laudabilium officiorum functione, divinæ mentis fiunt, per insomnia. Solutæ namque non à corpore, sed à corporis penso suas agunt res. Seipsas enim movent atq; etiam promovent ad effigiem sui finis: quæ sunt olim coram contemplatura.*

§. 12. Anima autem immediatè ac per substantiam suam nihil agit; sed per potentias & qualitates intermedias, tanquam per instrumenta actionum suarum. Solus DEUS simplicissimus est, cujus idem est esse & agere. *In solo DEO non distinguitur esse à posse, quippe cujus potentia ipsa est essentia*, dicit Thomas *part. 1. Summæ quæst. 54. art. 1.* Cætera Sub-

ra Substantiæ per seipsas nihil agunt, sed per qualitates superadditas. Non per seipsum ignis calefacit, sed per calorem: non per seipsum magnes ferrum trahit, sed per qualitatem attractricem: non per Substantiam suam anima videt, nutrit, concoquit, sed per potentiam visivam, nutritivam, concoctivam. Doctissimè Thomas Fienus *De Viribus Imaginationis Conclus. XIV. Substantiæ sunt indifferentes ad omnem operationem, quare necessarium est, ut per potentias sibi superadditas ad hanc vel illam edendam terminentur.* Quod idem Conimbricenses afferunt *in L. 2. de animâ c. 3 quæst. 4. art. 2.* discurrentes: *Quod ex se indifferens est ad diversos actûs, oportet ut per aliquod superadditum ad eos determinetur: sed essentia animæ in se spectata est indifferens ad quemlibet eorum actuum, quos edit. Oportet igitur essentiam animæ per aliquid ad hunc & illum actum determinari: id verò nihil aliud est, quam ipsæ animæ facultates seu potentiæ. Igitur potentiæ sunt aliquid superadditum essentiæ.* B. Dn. Meisnerus in Disp. singulari duo cumprimis adhuc Fundamenta urget. Primum est intensio & remissio potentiarum. Una eademqve est omnium anima, non tamen intelligenti facultas, sed in hoc individuo subtilior, in altero crassior. Non omnes Scoti sumus aut Scaligeri, sed & quidam Corydones ac Tityri. ἡ δὲ ὀσία μὴ ἐπιδέχεσθαι τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον, Arist. *L. Categor. c. 5.* Secundum est lucta rationis & appetitûs. Idem cum seipso dissidere neqvit, sed pugna omnis ad minimum inter duo. Quæ qvidem hîc operosiùs discutere nihil attinet. Animæ ergò ceu Reginæ PHANTASIAM ceu ministram addimus & facultatem subordinatam. Multæ magnæqve Vires Imaginationis sunt tùm in moralibus, tùm in naturalibus. *Puto multis potuisse ad Sapientiam pervenire, nisi putâssent se pervenisse,* scribit Seneca *De tranquill. animi c. 1. Multi magis pulchri sunt, quàm sunt,* ludit Plautus *Milite VI. 2. 94.* Ferè plus sibi qvisqve videtur posse, quam potest. Hinc omnia sibi tribuit, aliis nihil. Ventum atqve aerem removere oportet, si quid in utres velis infundere boni: sic fastum ac tumorem eximi necessum est ab animo ejus, qui Sapientiæ vacare velit. Sol qvò magis in alto est, hoc minores jacit umbras, quo terræ propinquior, hoc majores: ita virtus quò major est & excelsior, hoc minùs videri cupit, quò minor aliqvis est ac inferior, hoc magis efferre se cupit jactatione & ostentatione, sicut qui corpore gracili & macilento est, vestibus se dilatat. Rectè hinc

 Quin-

Quintilianus *Institut. Oratoriar. L. 1. c. 1. Nihil pejus iis, qui paulum aliquid ultra primas literas progressi, falsam sibi scientiæ persvasionem induerunt. Nam & cedere præcipiendi peritis indignantur, & velut jure qvodam potestatis, quo ferè hoc hominum genus intumescit, imperiosi atq; interim sævientes stultitiam suam perdocent.*

§. 13. Ita in naturalibus vehemens Imaginatio multum potest. Læta cogitando, lætamur, tristia, tristamur. Oscitante uno, oscitat & alter. Peste corripitur, qui tempore pestis pestem sibi imaginatur. Fructûs austeros comedentes qui spectat, horrore perfunditur. Nonnulli ad supplicium ducti virgæ aut lintei madidi ictu exspirârunt. Libavius scribit *part. 2. Singular. p. 139. Adversabatur quædam poculum illud, ex quo memineret se medicinam hausisse, si tentaret, nauseæ & vomitionis minæ erant in promptu.* Fienus dicit *De Virib. Imagin.* Conclus. *XXIII. Qui imaginatur Venerem, ei coles excitatur, & spiritûs moventur versus genitalia, & non ad aliam partem, seu diriguntur ad illam partem, quæ est instrumentum istius actionis, de qua est imaginatio. Qui imaginatur cibum aliquem lautum, ei saliva ad os movetur: motrice naturali ad palatum, quod instrumentum est illius actionis seu justûs, de quo est imaginatio, humorem illum dirigente. Cùm cogitamus de mingendo, vel cum videmus alios mingentes aut egerentes, micturimus, vel cacaturimus. Cùm videmus alios comedentes, aut de cibo cogitamus, incipimus famere: quod non videtur aliâ ratione fieri, quàm propter spiritûs, quos natura mittit ad illas partes ab ipsâ imaginatione determinata. Ideò benè dicit Jacobus de Forlivio, propter obedientiam virtutum superiorum ad inferiores phantasiam ita movere virtutes naturales, ut ipsa aliter moveant sangvinem & spiritum, quàm aliàs naturaliter moverent, si à phantasiâ non dirigerentur.* Quidam in testam se commutatum esse existimabat, & proinde neminem sibi appropinquare volebat, ne frangeretur. Aliquis ex vitro sibi conflatas nates opinabatur, adeoque omnia sua negotia stando expediebat, ne si in sedile se inclinaret nates frangeret. Alius ex butyro se conflatum putabat, ideoque clibanum accedere nolebat, ne colliquesceret. Alius caput amputatum sibi esse rebatur, qvem curavit Medicus imposito repentè capiti

piti ipsius plumbeo pileo, ut gravitatem sentiens, caput se recepisse putârit, gavisusque plurimùm & restitutus fuerit. Alius qui se cornua gestare credebat, capiti cervinis cornibus alligatis serrâque resectis & ostensis, insaniâ liberatus est. Ut & ille, qui se in capite passeres habere dicebat, Medico per nares eus se extrahere simulante, & ægrotanti quem in manu absconderat passerculum monstrare, sanatus fuit. Valeriola curavit quendam magno labore, qui ob amoris impotentiam miris visis noctu ac interdiu agitatus est, modò in iram furoremqve raptus modò in risum effusus: amatæ speciem perpetuò in conspectu se habere affirmavit, cui blanditus est, ac si præsens esset Persona ipsa: mox increpavit miris modis, quod amantem redamare nollet: omnis huic de amatâ sermo fuit, omnis inter luctûs ivit dies: noctes sine somno tristis mœrensqve consumsit, & ipse sibi injecisset violentas manûs, nisi impeditus & à suis prohibitus fuisset. Tanta Phantasiæ vis, ut ex sano insanum, ex sapiente delirantem reddere possit. Ita deliria sunt vigilantium somnia, uti somnia dormientium deliria.

§. 14. Et licet erret Phantasia aliquando, seqvitur tamen, quod ipsa sibi tàm intentè impressit. Vicentius quidam tantam sibi imaginabatur corporis magnitudinem, quantâ ostium pertransire non posset. Et cùm Medicus per ostium eum transportari jussisset, querulâ dixit voce, in transportatione istâ totum se fuisse contractum, & paulò post suum obiit diem. Alius cùm inter Parentum sepulchra obambularet, & lapillum forte calcaret, adeò ut is adhæresceret calceis, à manibus Parentem trahi se clamavit, & intra diem septimum mortuus est, Medicus quidam Theophilus cùm febriret aliquando, propter spondam suam magnam cornicinum tibicinumqve manum adstare sibi imaginatus est, variis qui modis ipsi accinerent. Liberatus à morbo, nullâ ratione opinione suâ moveri potuit, quin factum ita crederet, & amicos, qui opem ægro tulissent, incusavit, quod invidissent sibi lætitiam continentem. Sic timidis ac meticulosis Spectra subinde obversari videntur in tenebris, cùm nihil minus adest, tantâ interim cum efficiâ impressionis, ut in morbum inde, sæpè & mortem conjiciantur. Etsi enim non negem ob imbecillitatem oculorum & aëris crassiorem constitutionem, sub crepusculis imprimis, reverà alicui propriam sui imaginem occurrere posse: (uti Antipheron Oretanus argumento est, cui ambulanti perpetuò sua præire vi-

ſa eſt imago, & ex adverſo reſpicere, Ariſtot. *l.3.Meteor.c.4.* item ille, cujus Vitello meminit *L.10.Optic.prop. 61.* qui cum multarum noctium vigiliis debilitatus, noctu propè ripam fluminis in craſſiore aëre obeqvitaret, videre ſibi viſus eſt alium virum obequitantem, cumque ipſe conſiſteret, conſiſtentem, cum movente ſe pariter moventem, & omnes motûs geſtûsque imitantem: cùm autem è neboloſo aëre in ſerenum perveniſſet, equitem diſparuiſſe) ut plurimum tamen phantaſiæ tantùm corruptela eſt, & *ex fictâ malorum dæmonum repræſentatione ſtolidi terrificantur*, ut Scaliger loquitur *Exerc. CCXCVIII.4.* Huc & iſtud facit, quod Lugdunenſi cuidam mulier contigit. Cui cùm partus non procul abeſſet, & maritus hoſtili ac ſupra modum terribili vultu ei immineret, ac præ iracundiâ gladium velut in cranium impacturus, ſtringeret, etſi fugâ ſalutem uxor quæſiſſet, infanti tamen edito eâdem calvariæ parte, cui acies minitabatur, magnum continuitatis divortium apparuit, ſtatim ab enixu ſic effluente ſangvine, ut nullo conatu vel arte tempeſtivè reprimi poſſet, atque infans protinùs exſpiraret. Vide ſuper Dn. D. Sennertum *De Conſ. & Diſſ. Cap. XIV.* item *Inſtit. Medic. Lib. 5. part. 3. ſect. 1. c. 7 p. 322. ſeqq.* Schenckium *l. 4. Obſ. 130.* Dn. Sperling. *De Format. Hominis Cap. V. Q. 3. Inſtit. Phyſ. Lib. VII. cap. 3. Q. 4. & De Animâ Senſitivâ Cap XIII. Q. 2.* Hæc eadem ergo hic quoque punctum fert omne. Unde B. Sennertus *Libr. 2. part. 3. Sect. 2. cap 2. Inſtit. Medic. p. 407. Anima ſentiens in ſomno non ſolùm ab externo objecto vehementer incitata & laceſſita ad ſentiendum ſe convertit, & primò quidem obſcurè rem percipit, poſtea ſubinde, ut clariùs cognoſcere poſſit, majorem ſpirituum copiam ſubminiſtrat, qui ad ſensûs, qui afficitur, organum aditum quærentes ſensûs communis viam perrumpunt, & ut animal ſæpè etiam in ſomno moveatur, in cauſâ ſunt: ſed & ab interno objecto & imagine phantaſiæ oblatâ idem fieri poteſt. Imaginatio enim ab interno Objecto per ſomnum repræſentato affecta movet facultatem motricem. Atq; ita non aliunde, quàm ex Imaginatione ſymptomatis hujus cauſa petenda videtur.*

§. 15. At nec ſi tamen ſuperata omnis difficultas eſt. Nam Phantaſia quid ex ſe? Senſus internus eſt: & ſic ad Facultatem cognoſcentem Animæ Senſitivæ pertinet. Cognitivæ autem potentiæ paſſivæ potiùs ſunt, quàm Activæ, afficiuntur enim à Speciebus ſenſibilibus, qvas

recipiunt

recipiunt. Actionem transeuntem extra se non habent; nam ad immanentem quod facit, ita omnis potentia est activa, sed non nisi suæ actionis determinatæ respectu, & hîc quidem cognitionis. Infœcunda ergò de se omnis cogitatio est & inefficax. *Qvantumcunq; enim quis* (dicit Fienus *L.c. Conclus. XII*) *diu lapidem inspiciat, aut de eo cogitet, aut habeat voluntatem eum movendi, nunquam movebit eum: ut ne quidem vel minimam plumam. Imò tantum abest, ut externam rem movere possimus, ut ne quidem partem propriam corporis gangrænâ aut Paralysi affectam, quantumcunq; eam movere desideremus, & de movenda cogitemus, movere valeamus.* Et *Conclus. XXIV. Etiamsi quis toto die imaginetur se esse calidum, aut velit esse calidus, non ideò calefiet, aut imaginetur, se esse frigidum, non ideò frigefiet: Æthiops imaginando albedinem per integros annos, non ideò albescet: fœtore anhelitûs laborans, imaginando perpetuò odoris bonitatem, non ideò sibi faciet anhelitum odoratum: nec quispiam simplici suâ imaginatione per se ullam aut primarum aut secundarum qualitatem seu in corpus proprium, seu in contenta ejusdem humores scilicet spiritûsq; inducet.*

§. 16. Directè proindè & solitariè sumpta Phantasia, nihil agit, nihil movet, sed nudè cognoscit. Indirectè & cum aliis Facultatibus conjuncta, stupenda illa præstat. Ea enim excitat Appetitivam, hæc Locomotivam, ista spiritûs & humores, quorum affluxus & refluxus mutationes illas infert. Hæc est pulcra ista causarum & actionem corona in Objecti cognitione, cogniti appetitione, appetiti prosecutione. De quâ Fienus *Conclus. XXI. Ad motum concurrunt tres actiones, se mutuo ordine necessariò consequentes, cognitio, appetitio & motio. Etenim motio est ad aliquid prosequendum vel fugiendum; non prosequimur aut fugimus, nisi quod appetimus aut declinamus, itaq; concurrit appetitio: non appetimus, nisi quod cognoscimus, itaq; concurrit cognitio. Prima ergò est cognitio, inde sequitur cogniti appetitio, ultimo est appetiti prosecutio, quæ fit per motum.* Et Dn. D. Sennertus *Epit. Instit Medic. Lib. 1. cap. XV. Postquam Objectum externum per sensûs externos & communem Phantasiæ offertur, ut commodum & gratum, vel noxium & ingratum cognoscitur. Cognitionem hanc sequitur amor vel odium, seu appetitus rei gratæ & fuga noxiæ. Appetitum sequitur in brutis statim motus, in homine tamen facultatis intelligentis judicium accedit, quæ*

qvid

quid reverà bonum vel noxium sit, æstimat. *Facultas tandem motrix motum ab appetitu seu sensitivo seu rationali imperatum, prout hic vel ille superior est, exsequitur, musculis, utpote adæquato motûs instrumento, contractis, qui tendines attrahunt, hi ossa, ossibus deniq; motis membrum vel totum corpus ad apprehendendam rem gratam, vel fugiendam noxiam, de loco in locum transfertur.* Hæc eadem hîc quoq; in Noctambulis nostris advertenda. Habet in se phantasia species aliquas ab Objectis certis per externos & communem sensum delatas, aut Marte proprio novè fabricatas. His dum speculando indulget, movet paulatim Appetitum ad rem ipsam concupiscendam, cumque eâ se uniendum. Ut potiatur appetitus amatâ re, Locomativam incitat, quæ spiritibus musculisq; variè concitatis & agitatis semisomne corpus elevat, & loco lectoq; movet. Tàm fortis & intenta istis est phantasia, quæ Appetitum ac Locomotivam stimulat, quibus stimulatis organa motui destinata moventur, & id quod jubentur non secus ac interdiu exsequuntur. Præclare ac nervosè iterum Magnus Sennertus *Instit. Med. p. 407. Motum hunc animalem esse, atq; oriri beneficio pedum ac manuum, & motui progressivo atq; apprehensioni dicatorum organorum, perinde ut invigilantibus, certum est. Cùm autem ad motum animalem non solum requiratur instrumentum, sed & virtus locomovens, atq; præter hanc appetitus, qui motum imperat, & locomotivam impellit; appetitus autem stimuletur à phantasiâ, quæ objectum oblatum cognoscit, atq; appetitui offert, & illud fugiendum vel sequendum monet, atq; ita in motu animali sese hæc consequantur, objectum oblatum, phantasia illud ut bonum vel malum agnoscens, appetitus ut bonum cupiens, vel malum aversans, vis movens, atq; instrumentum, quod motum obit: etiam in Somnambulorum motu hæc inveniri necessum est.* Hactenus Causæ Generales; restant Speciales.

GLORIA IN EXCELSIS DEO!

Q. D. B. V.

De

NOCTAMBULIS,

DISPUTATIO POSTERIOR,

Quam

VVITTEBERGÆ

Ad D. VI. FEBRUARII, A. C. cIↄ. Iↄc. L.

Disqvisitioni sistunt publicæ

PRÆSES

M. SAMUEL POMARIUS, SILESIUS,

Collegii Philosophici Adjunctus.

&

RESPONDENS

JEREMIAS Schultz/ FRIDEBERGA SIL.

Habebitur in Auditorio Majori, horis matutinis.

D

IN NOMINE DOMINI JESU.

CUm Somnus Per *ἀκινησίαν καὶ δεσμὸς τῆς αἰσθήσεως*, & *κατάληψιν τοῦ πρώτου αἰσθητηρίου* deſcribitur Ariſtoteli *L. περὶ ὕπνου καὶ ἐγρηγόρσεως c. 3.* aut aliis Phyſicorum per privationem ſenſuum externorum ſenſûsqve communis & facultatis Locomotivæ in animalibus, à ſpirituum animalium negatione ob ſalutem animalium factam; id, ex indole Definitionum, de naturali ſomno perfectoque, non de Symptomatico & imperfecto capiendum eſt. *Eſt ſomnus alius ſimpliciter & univerſaliter vigiliæ oppoſitus, alius ſecundum quid & in parte ſolùm. Simpliciter quidem, quô & ſensûs omnes & motûs voluntarii ligati ſunt: ſecundum quid autem & in parte tantùm, in quo vel non ſensûs omnes ſunt ligati, vel ſensûs ipſi quidem ligati ſunt, motûs autem voluntarii non. Nam quoniam neq; idem ſpiritus, neq; eadem viæ, neq; eadem ſpecies ſunt ſenſuum omnium & motuum, fieri quidem poteſt, ut plures ligentur ſensûs, non tamen omnes, vel ſensûs quidem ligentur, motûs autem voluntarii non*: accuratè diſputat Hier. Fracaſtorius *lib. 2. de intellectione.* Scilicet eſt utiqvè Somnus ſenſuum ceſſatio, & ſentiendi impotentia. Non qvævis tamen promiſcuè: nam & in animi deliquiis, & in deliriis quibusdam, & in venis jugularibus cùm apprehenduntur adſtringunturque eripi ſensûs aſſolent: ſed naturalis, & quæ ſit *ἀδυναμία τῆς χρήσεως ἐν τῷ πρώτῳ αἰσθητηρίῳ*, docente Ariſtotele *l. c. c. 2.* Verè in exacto & conſummato ſomno ſensûs quieſcunt, pro actu ſecundo ſumti videlicet

tùm externi, tùm communis. Viſus non percipit colores, nec auditus ſonos, nec olfactus odores, nec guſtus ſapores, nec tactus qualitates tactiles. Communis etiam ſenſus, qui aliàs Regis ad inſtar aut judicis velut in throno aut pro tribunali ſedens, ab externis illis apparitoribus allata æſtimat & judicat, non recipit ibi ſenſibilium ſpecies, non diſcernit ſenſilia propria à ſe invicem, nec à communibus, nec Phantaſiæ qvidquam ſuggerit. Nec Locomativa tùm membra vel corpus de loco in locum transfert. Phantaſia interim non ligatur, ſed continuo exercetur labore. Aut *ſi interdum in ſomno non operatur, non id fit ideò, quod ejus affectio ſomnus ſit, ſed quia à ſenſibus externis nihil ad illam defertur, circà quod verſari poſſet,* dicente Magno Sennerto *Epitome Natural. Scient. L. VII. c. 9.* Appetitus quoque nunquam ſatiatur, ſed proſequitur inceſſanter, ſi quid ipſi grati à Phantaſiâ oblatum. Animæ Vegetativæ potentiæ item fortiores tùm & expeditiores ſunt. Nutritur corpus in ſomno feliciùs, dum agglutinatio ibi & aſſimilatio melius peragi poteſt. Cùm animali facultate quieſcente naturalis validiùs agat. Hinc glis de ſe apud Martialem *Lib. XIII. Epigr. 56.*

Tota mihi dormitur hiems, & pingvior illo
Tempore ſum, quo me nil niſi ſomnus alit.

Augmentatio itidem adeſt. Unde infantes, qui nihil fermè præter ſomnum habent, tamen in eo augentur maximè. Generatrix quoque tùm non ocioſa eſt omnimodis. Animæ Rationalis primariæ Facultates, Intellectus, & Voluntas etiam ibi operas peragunt ſuas: nam ad ſecundarias quod facit, Riſum & Sermonem, eæ organicæ ſunt & ita muſculorum ac aliorum membrorum ope haut adſpernandâ egent. Patet hinc, quid in ſequenti Scaligeri diſcurſu probes, quid improbes. *Exercit. CCLXXXIX.* ſic ait: *Somnum Ariſtotelem ita definit, ἠρεμία πρώτου αἰσθητικοῦ, id eſt, cordis. Galenus irridet*

hoc

hoc futili, ut pleraq; alia Aristotelica, insultatione. Nunquam, inquit, cor cessat. Ita sophisticè procedit à parte ad totum, aut aliam ad partem. In corde namq; multa sunt principia. Primarium est, τὸ ζωτικόν: secundum illud, τὸ κινητικόν. Hae neq; unquam cessant, neq; somno impediuntur & intercipiuntur, neq; sunt τὸ πρῶτον αἰσθητικά, tametsi sunt τοῦ πρώτου αἰσθητικοῦ; Est igitur somnus quies primi αἰσθητικοῦ ὡς αἰσθητικοῦ. Non enim bonus Metaphysicus fuit Galenus: fortasse verò nec bonus, nec non bonus, nec quidquam illius Sapientiæ: quæ propter rerum nobilitatem, cognitionis difficultatem à paucis recepta, apud multos calumniæ propior est. Itaque non illæ in somno cessant facultates, sed aliæ operosiores, atque posteriores, τὸ αἰσθητικόν, τὸ νοητικόν, τὸ γεννητικόν. Transeat, quod bonum Gelenum ob Metaphysicæ ignorantiam tàm adunco naso suspendit. Ob cujus cognitionem ipse scilicet *post mediam noctem cœnæ iniit rationem, ut hisce pallesceret disputationibus*, quod aliàs *ut vulgò minùs vendibile sapientibus cœlo propioribus* vindicat *Exerc. VI. 12.* Alios qvi præ se temnit, pro decore quod captat, dedecus reportat. Falsum est, quod pro *maximi Sententiâ Præceptoris* Cor facit πρῶτον αἰσθητήριον. A cerebro pendent nervi spirituum animalium latores, & ibi scaturigines suas sumunt, ac quasi ex fonte per canales in singulas corporis partes derivantur. Hinc cerebro affecto, oppletisque ventriculis, intercipitur sensus ac motus. Motus cordis perpetuus naturalis est, nec in potestate nostrâ, non animalis, ut ille quem nervi dant; adeoque somni sedem nec infert, nec aufert. Falsum & hoc, quod τὸ νοητικόν in somno cessare dicit. Primùm propria vineta cædit. Nam paulò ante dixerat: *Pravorum animi suppliciis afficiuntur per insomnia. Bonorum atq; sapientum veritatis investigatione, laudabilium officiorum functione, divina mentes fiunt, per insomnia.* Deinde Experientiæ obloquitur. Zanardus scribit. *De Universo parvo mixto Homine Quæst. XIV. p. 98. Dico etiam in somniis Intellectum se ad Phantasiam convertere, & species materiales phantasiatas ex eâ elicere, & sic etiam illustratas recipere & discurrere, quia sensûs interni in somno non sunt ligati nisi quoad as-*

ad acqvisitionem novarum specierum, at respectu jam receptarum operari possunt. Hoc enim mirabile in me cognovi, quod cùm non sim in componendis carminibus multùm peritus (verum fateor) neq; in Græcâ Hebræaq; linguâ, in somnio currenti discursu carmina pulcherrima Latina & vulgaria formaverim, & terminos ante dictarum lingvarum cognoverim, ut manè expertus sum; conciones q; ordinatas ornatas & pulchriores in somno confecerim, quàm in vigiliâ, & quæ in vigiliâ cum multo labore non penetravi, in somnio in promptu habui, & pluries hæc mihi acciderunt, quæ sine ope intellectûs fieri non possunt. Demus hîc indulsisse genio suo Monachum plus justo, & imposuisse aliquid Lectoris humeris, cui ægrè ferendo sint. Nam cui facilè persvaseris, idiotam artes lingvasque somniare posse? Qui de die Græca & Hebræa non novit, citra dubium nec in nocte eadem condiscet. Repetitur in somno tantùm, quod per vigiliam acquiritur, nec agit qvidqvam ultra vires suas. Hoc tamen inficias eundum non est, intellectum somnio quandoqve immiscere se. Non premitur ibi anima negociorum mole, non distrahitur curis, non æstuat affectibus, sed sui compos exercet se masculè versûs faciendo, opponendo, respondendo, & unum ex altero eliciendo. Hinc Lipsii ista svadela non sine laude, non sine fruge; *Perutile futurum,* Ciceronem *legi quotidie & relegi vespertinis præsertim horis, & si oportunitas feret, sub ipsum somni tempus. Mens tunc nescio quomodo melius arripit, retinet, & concoquit per qvietem. Tenta, reperies in levi monito non leve monentum, Instit. Epist. cap. XI.* Et Exemplum illud Academici cujusdam sat notabile: qui cùm versûs vigilans explere nequivisset, noctu surrexit, pluteum aperuit, scripsit, sæpè altâ voce quod scripserat relegit, manè omnium ignarissimus, & pridianâ sollicitudine adhuc laborans, ad suum libitum chartas impletas, idque suâ manu vidit, attonitus ob id, & dubitabundus, atri an albi genii opus esset, apud Henric. ab Heer *Observ. Medic. oppidò rarar.* 2. Cùm porrò θρυλικὸν quoque in somno cessare facit, audit meritò, qvod Cardano ante objectaverat: *In hoc somno* Scaliger, *profectò dormitabas, cùm tàm*

tam subtiliter loquereris, ut ad somnum animæ vegetativæ actiones referres. Sensuum operationes quiescunt hîc; non facultatis procreatricis; uti nec nutricis, nec auctricis. Elaboratur in somno semen æquè ac de die, quin & effunditur interdum. Hinc ἐξονειρώττοντες famosi in Divino Codice. Et si famæ fidendum; imprægnatæ nonnunquam fuêre dormientes ac ignaræ. Atqve hæc quidem ad hunc modum habent, cùm de Naturâ rectè & perfectè constitutâ res ac sermo nobis. Datur autem etiam persæpè Somnus aliqvis imperfectior, ubi jactamus in lecto nos subinde; nec ad quietem ex toto componi, nec tamen ex toto etiam vigilare dici possumus. Ita jejunis ac famelicis somnus nullus, aut interruptus & parcus. Qui cogitabundi, & vel tristitiâ & lætitiâ aliquâ inopinâ perciti lecto se dant, ægrè dormiunt. Hinc Rudolfus II. gloriosissimæ memoriæ Imperator paulò ante obitum fatebatur, se, cùm ipsum ex Hispaniis, ubi tùm princeps juventutis degebat, Parens Imperator in Patriam Germaniam per Legatum revocâsset, tanto gaudio obrutum fuisse, ut totâ illâ nocte somnum non viderit oculis suis. Ità qui sub vesperam plus nimio crapulâ opplevêre se aut vino invitavére largiùs, inquietas agunt noctes. Hîc namque fit, quod in lucernis contingit, in quas si præter modum infuderis oleum, restinguitur mox lumen. Quamvis enim halitûs adscendentes vim quandam ὑπνωτικὴν ac ναρκωτικὴν obtineant, unde & ad somnum inclinamus & oculis subinde connivemus, quia tamen multæ confusæ ac absurdæ imagines Phantasiæ objiciuntur, fit hinc, ut dormire non valeamus, etsi palpebras claudere omni ope conemur. Hîc ergò tantum abest, ut sensus & motus quiescat, ut exserat se potiùs nimiopere; spiritibus animalibus perpetuò agitatis & concitatis. Quanquam ne in perfecto quidem Somno animales spiritûs in totum ociantur ac obtorpescunt, sed omninò adhuc sensibilia cumprimis excellentia percipiunt. Non enim omnis eorum in organa influxus denegatur, sed sufficiens. Hinc sentimus dormientes, cùm fodicamur aut pungimur, audimus

mus

mus fortiùs obstrepentes cachinnos ac clamores, bambardarum item displosiones; videmus illatas faces, olfacimus fœtores intolerabiliores. Graphicè Galenus *l. 2. de motu muscul. c. 4. Temeraria sententia est, quæ asserit animam dormientium quiescere, nisi cessationem hanc non perfectam quietem, sed quasi intermissionem quandam vigoris dicant: nam si hoc dicunt, benè dicunt, ipsiq; assentimur. Non enim sensûs expertes penitus sunt dormientes, sed difficulter sentientes: Cur enim vocantes subaudiunt, & lumine importato exsurgunt, & tangentes sentiunt?* Ita Dn. D. Sennertus *Institut. Medic. L. 2. part 3. s. 2. c. 4 p. 407. Vim. movendi quod attinet, etsi in somno illam deesse aliquis existimare posset, quod in somno non solùm sensûs quiescunt, sed & animalis motus cessat, atq; primi sensûs quies somnus est, spiritûsque in organis sensûs & motûs ad sensum & motum sufficientes non adsunt: tamen id non ita accipiendum est, quasi spiritibus animalibus planè organa illa careant, sed certum est superesse adhuc aliquos in iis qui ad sensibilia vehementiora percipienda, & motûs etiã qui per somnũ imperantur, edẽdos sufficiunt:* Itẽ P. Salius Diversus *de affect. part. c. 18. Servantur in dormientibus plurium musculorum motûs, clarè apparet in his, qui excretionibus superfluitatum retinendis & qui mandibulæ inferioris retractioni, & qui respirationi, & qui aliis hujuscemodi functionibus destinati sunt, sed clariùs in his, à quibus pure & simpliciter voluntarii motûs dependent, quorum ratione dormientes sæpè brachia & crura agitantes de loco ad locum moventur. Servantur etiam in multis sensûs exteriores. Hinc aliqui vocem cantantis galli vel latrantis canis dormientes audiunt & dignoscunt, & lumen præsentis lucernæ verè agnoscunt, saporesq; rei gustum afficientis dijudicant, fœtentiaq; ac malè olentia discernunt: aliqui autem clarè loqvuntur, altâ voce quandoq; clamant, quidam etiam ad interrogata respondent, cujus merito nonnulli propria secreta in somnis aperuerunt.* Utut ergò Definitio superior Somni perfecti sit; tamen uti Sensus ipsi, sic & hæc sensuum affectio moderata tantùm objecta poscit, non excellentia. Quæ tàm clara quidem & vera sunt, ut si secus fiat, & ne vehementiora quidem sensibilia anima sentiat,

præter naturam aliquid accidat, & ſtupor detur, non ſopor. Qualis in Ecſtaticis contingit, qui quaſi omni mente à corpore abſtractâ tàm profundo ſomno detinentur, ut nullum ſensûs ac motûs indicium præ ſe ferant, ac licet variis modis vexati quaſſatique, aut aciculis compuncti, non excitantur tamen ad tempus ſat longum. Qui cùm varia & abſurda ſpectra in ſomno Phantaſiæ obverſantia habeant, fit hinc, quia reliquis ſenſibus feriantibus Imaginatio circa ea magis occupata & defixa, tenetur, ut poſtquam evigilârunt, ob fortem illam impreſſionem verè ſibi contigiſſe putent ac narrent, quidquid ſomniârunt, & Dei ac Angelorum choris immiſtos ſe fuiſſe, ac neſcio quæ inde mandata ad homines accepiſſe, vanè glorientur. Sed aliud ex alio occurrit, & velut varam vibia ſequitur, ac anſam anſa trahit, ita & hic ſub manibus creſcit labor. De Noctambulis diſſertandum nobis erat. Qvia verò actiones iſtorum videbantur adverſari Naturæ ac Deſcriptioni Somni Phyſicæ, in hanc primò paulò altior cuar inſumenda erat, eaq; tùm rationibus, tùm autoritatibus clariſſimis tota exhaurienda. Fecimus ergò hoc, & excurrimus ferê ultrà quàm par erat. Nihil reſecamus tamen, ſed quia meditatio hæc omnem materiam noſtram abundè juvat & illuſtrat, ac ab ſe qvoqve cum ſummâ jucunditate parem favet utilitatem, quod ſcriptum eſt, ſcriptum ſit. Non ſunt longa, quibus nil eſt quod demere poſſis. Nempe cùm Errones noſtri nocturni hinc inde circumcurſitant, imperfecto gaudent Somno, & ex parte dormiunt, ex parte vigilant. Et in lecto cùm cubant, ac perfectum etiam ſomnum carpunt, non tamen omnem propterea ſenſum, nec omnem motum cum veſte depoſuêre; ſed ſupereſt adhuc aliquid ſpirituum animalium in organis, quod à Phantaſiâ cieri poteſt, animâ ſenſim majorem ſpirituum copiam membris ſubminiſtrante. Unde Ariſtoteles ipſe *L. de Somno & vigiliâ cap. 2. extr.* Κινοῦνται δ᾽ ἔνιοι καθεύδοντες καὶ ποιοῦσι πολλὰ ἐγρηγορικά, οὐ μέντοι ἄνευ φαντάσματος καὶ αἰσθήσεώς τινος. τὸ γὰρ ἐνύπνιόν ἐστιν αἴσθημα τρόπον τινά. h. e, *Sunt etiam, qui dormientes reſurgunt, & pleraq;*

agunt, qualia cùm vigilant solent: quod tamen sine visione aliquâ aut sensu contingere non potest: nam somnium quodammodo sensum est. Immorabimur ergò operæ huic ulterius, & quod Disputatione superiori ingressi sumus Pelagus, ometiri nunc annitemur divino ferente vento.

§. I.

CAusas Generales Noctambulationis vidimus, Animam & Phantasiam. Anima namque Sensitiva, & quæ vicem ejus in Homine obit, Rationalis, Phantasiæ fortioris ope hunc effectum edit. Cùm Phantasiâ conjungitur Appetitus fortior ac vehemens, qui Locomotivam paulò agiliorem ad aliquid agendum exstimulat. Appetitus illa vehementia à spirituum dispositione singulari pendent, quam vapores inducunt misti spiritibus, obtinentes vim sensûs ligandi & simul somnia multa, eaque clara objiciendi. Ut enim in sanis ratione dispositionis spirituum principes actiones variant: ita etiam somniantes rerum imagines in memoriâ asservatas alii clariùs, alii obscuriùs perspiciunt, & non solùm imagines, in memoriâ asservatas alii clariùs, alii obscuriùs perspiciunt, sed & appetitus hinc variatur. Non SPECIALES Causæ ventilandæ sunt. Eas voco, quæ non in omnibus talismodi affectibus concurrunt, sed aliquando tantùm. Et presiùs loquendo, Occasiones tutiùs, quam veras Causas dixeris. Geminas eas summatim constituo, Efficientem & Materialem. Nam *Formam* quidem exhibet nobis mistio illa ex somno & vigiliâ, variæque Noctambulorum & admirandæ actiones. *Finis* est, rei cupitæ consecutio. Etsi enim temeritas ibi videtur inconsiderata, absque fine suscepta actio; tamen nec temerarii omnes nullam finis rationem habent. Quin potiùs ex hoc ipso ob finem egisse dicendi sunt, quia eo, consilio non meliùs habito, frustrati sunt. Nemo aberrâsse putatur, nisi qui jam antè in scopum certum jacula misit. Etiam ille victoriam ab hoste sibi proposuit, qui dum eam minùs rectè persequitur, non consequitur. Hinc Libavius *part. 2. Singular. pag. 261. Noctambulos concitat oblata*

ima-

imago, indeq; instigata prosequendi fugiendivè facultas, quæ finis gratiâ motum instituit; sed cùm capto animo, & deliberatione judicioq; hærente, non perpendant liquidò, sitné res talis, quam prosequi debeas aut fugere, idq; tali modo & tempore, temeraria est ambulatio. Interdum & assequuntur finem, sed nihilominùs temeritate, ut declarat Historia ejus, qui picas expugnato nido secum detulit.

§. 2. Sed hæc Causæ non controversæ sunt adeò, generaliter potius se habent. Inter EFFICIENTES autem non adducam AEREM humidum, pluviosum ac turbidum, qui Sennerto teste *Practic. Medic. L 1. part. 2. c. 19. p. 457.* faciliùs ad hoc malum dispositos corripit, quàm serenus: præsertim cum somno hoc oppressus interdiu multum peregrinatus fuerit, vel noctu aërem liberiùs majorique noxâ ad cubiculum & lectum usque admiserit. Cujus rei Exemplum Horstii: Noctambulo circa plenilunium & valdè intempestâ nocte præbuit, *cap. 7. pag. 57.* Nec inquiram laboriosiùs in CIBUM & POTUM, qui ad hanc affectionem possit hominem disponere. Quo de sic Horstius ~~l. c.~~ *Causæ hujus morbi externæ sunt cibi potusq;, vel somnum profundiorem adjuvantes, vel calorem fervoremq; cordis ac hepatis adaugentes. Prioris generis sunt, juscula cerevisiæ multò crebriora, semina papaveris albi, juscula ex his, lactuca vesperi in cœnâ largiùs sumta, vinum novum, dulce, crassum. Posterioris generis sunt cibi multi assati, iiq; justo vehementiùs, sal, aromata, ovi vitellum sine albugine, vina generosa, imprimisq; malvaticum.* Et Dn. D. Sennertus *Pract. Medic. l. d. Causæ externæ, evidentes & procatarcticæ sunt, quæ vel ejusmodi humores & vapores* (qui talem vim obtinent, qvalem illa narcotica, quæ sensûs ligant, & simul somnia plurima, eaq; clara excitant) *subministrant, vel eos commovent, quales sunt fabæ & aliæ legumina, lactuca, semen papaveris, vinum recens dulce vel aliud generosum, caput replens.* Et deinde in Diætâ *pag. 459.* præcipit, ut cibi sint boni succi, non flatulenti, & qui somnia turbulenta pariunt, ut fabæ, lentes & similia. Neque MORBUM afferam: licet in genere Horstius *cap. 6. pag. 53.* ad Symptomata depravatæ actionis animalis

 huuc

hunc affectum referat, qui sequatur insalubrem ac præternaturalem corporis constitutionem, aut etiam morbosam. Qvamvis enim interdum ex cerebri intemperie & morbosâ constitutione, melancholiâ, phrenesi, lycanthropiâ, galeanthropiâ, affectio talis ortum habere possit: tamen hoc nec semper fit, nec fit, quâ febricitant aliqui aut alio morbo laborant, sed *quâ in morbo ejusvé causâ similiter circa phantasiam motûsq; animalis instrumenta illi obœdientia disponuntur*, dicente Libavio *pag. 258*. Hinc etiam solâ castigatione Præceptoris, vel objurgatione severâ, absque omni medicinâ potest corrigi affectus hic. Sicut Horstius *cap. 1. p. 4.* de tribus Schleinitiis, Nobilibus Misnicis, memorat, cùm unus eorum Lipsiæ literis operam navans, dum noctu ambulat, ac tegmina ædium perreptat, cecidisset & crus fregisset, Præceptorem eorum hoc periculo adductum alios fratres in somno ambulantes & culmina ædium scandentes noctu observâsse, ac eos reduces ad lectum expectâsse, atque cùm in tuto essent, virgis tamdiu cecidisse, donec expergefierent sponte, quòd cùm bis terve factum esset, nunquam amplius in somno eos ambulavisse. Unde rectius Dn. Sennertus *Instit. Medic. p. 409. Motus ille Phantasiæ fortior non semper ab eâdem causâ proficiscitur, neq; forsan omnes aliquam morbificam dispositionem ad hunc affectum habent*. Et Libavius *p. 257. Nyctobatarum affectionem quidam morbis annumerant, quidam Symptomatibus, ut sic quiddam præter naturam, cùm non videantur naturaliter ambulare eo tempore quo aliàs quiescere soliti sunt, idq; dormientes. Mihi videtur non uni generi accenseri totum posse. Exsurgit enim aliàs ex causarum naturalium ἐνεργείᾳ sine omni morbificâ dispositione, planè eodem modo, ut solent occurrere in somno.*

Causidicis lites, aurigæ somnia currus.

Item Salius diversus *c. l. Quos curabimus, non quia hæ affectiones sunt morbi, vel quia ab his malum aliquod simpliciter immineat; sed quia hi dormiendo possent ex insomniis ad præcipitia deduci, vel ad aliqua peragenda concitari: ex quibus vel mortem incautè ac inconsideratè sibi consciscerent vel aliis inferrent: cujus ratione,*

non

non autem quia ex insomniis aut ex somno lædantur, hujuscemodi patientes consulere Medicos, ad tales somnos prohibendos & ad talia insomnia profliganda, consvevêre. Tres ergò tantùm Causas in præsenti colligam, quæ præ cæteris momenti cujusdam videntur & indaginis: Lunam videlicet, Ebrietatem, & Actiones diurnas.

§.3. LUNA est Humorum Domina, eosque ab consensum suum naturalem cum Aquâ sursum ciet, ac in corpore nostro variè movet concitatque. Macrobius scribit *L.7. Saturnal. c.16. Si quis diu sub Lunâ somno se dederit, ægrè excitatur, & proximus fit insano pondere pressus humoris, qui in omne ejus corpus diffusus atq; dispersus est proprietate lunari, quæ ut corpus infundat, omnes ejus aperit & laxat meatûs. Hinc est, quod Diana quæ Luna est, ἄρτεμις dicitur, quasi ἀερότεμις, hoc est, aerem secans.* Eam ergò hic quoque aliqvando concurrere, & humores diversimodè commovere ac alterare, qvo sequatiores evadant ad Phantasiæ & Locomotivæ imperium, haut absonum prorsùs. Insinuat id non obscurè Horstius *cap.3. p.23.* ajens: *Luna sine dubio hisce aliquid copiosioris humiditatis in intimis cerebri & ambitu corporis confert, ut & gravius somno opprimantur, & cùm multa sentiant peraganiq;, tamen in ambitu quidam musculi, scilicet hi, qui claudunt oculos, nimis humectati ferientur.* Clariùs autem & fidentiùs D. Sennertus *Practic. p.457. Imprimis hoc facit Luna, cujus motu ut Epilepsia, ita etiam hoc malum commoveri Experientia docet. Et præcipuè radii Lunares, si dormientis capiti incidant, hoc malum excitare solent.* Qui idem deinde in Diætà *p.459.* præcipit, ut noctu radii Lunæ vitentur, & ne ii ad caput dormientis pertingant, caveatur. At nisi Universales illæ Causæ, Anima nimirùm & Phantasia cum Appetitivâ & Locomotivâ juncta, simul adfuerint, frustra est omnis Luna cum omni suâ ope, nec potest membrum totumvè corpus loco unquam movere. Dispositivè aliquid hic facit, non effectivè.

§. 4. EBRIETATI paulò potiores partes deferimus: ut & affinem eam maximè dicamus Nostro huic Affectui, & unum alteri mutuam illustrationis operam non infeliciter com-

modare putemus. Prout & ipsa Dei vox ebrios cum dormientibus componit, cùm Salomon paternè monet. *Ne intuearis vinum quando flavescit: cùm splenduerit in vitro color ejus: ingreditur blandè, & in novissimo mordebit ut coluber, & sicut regulus venena diffundet. Oculi tui videbunt extranea: & cor tuum loquetur perversa, & eris SICUT DORMIENS in medio mari, & quasi sopitus gubernator amisso clavo, & dices: verberaverunt, me sed non dolui: traxerunt me & ego non sensi. Quomodo evigilabo, & rursus vina reperiam? Proverb. XXIII. 31. seqq.* Grande & exitiale homini malum Ebrietas est, quæ non corpus tantùm omne enervat, sed & animam ipsum obfuscat & frangit, ut sui compos & dominus non sit, qui vel Lybiam remotis Gadibus junxit. Furor brevis est; & è potestate suâ mens exit, cùm hæc intrat. Seneca id testatur *Epist. XXIIX.* ita loquens: *Dic quàm turpe sit, sibi ingerere plus, quàm capiat stomachus, & stomachi sui non nosse mensuram? Quam multa ebrii faciunt, quibus sobrii erubescunt? nihil aliud esse ebrietatem, quàm voluntariam insaniam. Extende in plures dies illum ebrii habitum, nunquid de furioso dubitabis? nunc quoq; non est minor, sed brevior.* Ab se quidem vinum damni nihil dat mortalibus, Creatura Dei nobilissima, sed commoda potiùs infinita. Lætificat cor hominis, curas extingvit, excitat spiritûs, fovet calidum innatum, membra omnia agiliora & alacriora reddit. *Narratur & prisci Catonis sæpè mero caluisse virtus,* Horatius *Lib. III. Od. XXI.* Et poëtis, quos hinc idem *Bacchi clientes* vocat Lib. II. Epist. 2. qvam gratiam faciat, ingenium acuendo & animum torpescentem excitando, ipsi gratis dudum decantavêre lingvis. Ut hac propter Plautinus ille meritò alteri regesserit, qvi ignosci sibi petebat, quod animi impos vini vitio fecisset:

Non places, in mutum culpam confert, quod neqvit loqui.
Nam vinum, si fabulari posset, se defenderet.
Non vinum hominibus moderari, sed vino homines solent,

Qvi

Qvi qvidem probi sunt: verum qvi improbus est, aquam si bibit,
Sive adeò caret temeto, tamen ab ingenio est improbus:
Truculento IV. 3.

At cùm plus justo ingurgitatur, adeò, *ut invitis ingesta visceribus per os reddere & vinum omne vomitu remetiri* opus sit, qvod in fœminis Romanis acriter perstringit Seneca *L. IV. Natt. qq. c. 13* tùm optimæ Matris pessima nascitur Filia. In vino nempè, ut & cerevisiâ aliquâ, igniculi multi, & spiritûs potentes valde sunt. Qvi cùm copiosiores è ventriculo ad cerebrum adscendunt, spiritûs ibi animales turbant & circumagunt vehementer, ac inflammant ita, ut incalescant plus satis. Cùm spiritûs ita concaluêre, tùm pauper cornua sumit, tùm jurgia & lites, mistaqve verbis verbera ultrò citròque reciprocantur, jamqve faces & saxa volant, furor arma ministrat. Ovidius de Centauris canit *XII. Metamorphos. Fab. V.*

Vina dabant animos, & primâ pocula pugnâ
Missa volant, fragilesq; cadi, curviq; lebetes,
Res epulis qvondam, nunc bello & cædibus aptæ.

Justâ Horatii detestatione, qui *Lib. 1. Carm. Od. XXVII.* ita: *Natis in usum lætitiæ scyphis Pugnare, Thracum est.* Qvando ergò corpus sic obrutum est, & vino somnoqve sepultum, quando spiritûs ita turbantur & tumultuantur in cerebro, tùm mens ipsa quoque & ratiocinatio à Potentibus vicinis oppressa succumbit, & vix non sede suâ pellitur. Hinc sopito ita Intellectu, & Phantasiâ miris ac diris modis paratragœdiante, Appetitus solus rerum potitur, & ad cæcum ejus dictamen quidvis ineptiarum ac intemperierum genus peragitur. Ubi regnat ebrietas, ratio exsulat, intellectus obtunditur, consilia deviant, judicia subvertuntur. Docent id Agrigentini illi Adolescentes apud Timæum Locrum. Qvi probè madidi Madulæ cùm essent, in navi sibi versari videbantur, cui jamjam præsentissimum naufragium immineret. Magnitudine periculi territi, mensas hinc omnes & utensilia domestica per

fene-

fenestras in plateam projiciunt, tanquam exoneraturi cymbam mercibus superfluis. Vocati ob eam prodigalitatem ad Senatum, quasi coram Diis & Tritonibus in genua procidunt, ac ingentes ipsis gratias relaturi pollicentur, si benignitate ipsorum ab instanti morte liberarentur. Heu pestilentissimum Circes toxicum, quod non hominem facit ex homine desubitò, & tàm supinam sui ipsius ignorantiam ac oblivionem valet inducere. Hæc eadem ergò causa Noctambulationis quoque sæpenumero προκαταρκτικὴ & irritatrix est. Comprobat id *Libavius p.157. In aliquibus affectio quædam & constitutio momentanea est, præsertim naturâ proclivi: ut videmus in his, qui cibis vel potu immoderatiore usi cerebrum fumis oppleverunt, & aliàs etiam fuerunt ardeliones, curiosi rixatores, anxii &c. Hæc corrigitur sobrietate, & victûs regimine diligentiore.* Qui idem *pag. 266.* hoc exemplum habet: *Est oppidum non incelebre, in quo quidam benè potus domum petiturus absq; lucernâ & comite ad puteum accessit atq; in eum exsutis vestibus & calceis descendit, delapsusq; suffocatus est. Nimirum hic solus cùm esset, victus ebrietate semisopitus ambulavit, atq; errante phantasiâ deceptoq; judicio illud malum incurrit.* Et de Juvene illo Poëseos Professore Henricus ab Heer suprà recensuerat, eum sub annum ætatis 45. somnambulare desiisse, nec unquam sopitum lecto se movisse, nisi prius vino se nimis replevisset. Cùm itaque vaporibus halituosis ac spirituosis cerebrum adhuc abundat, nil mirum est, quod imaginatio à ratione dirigi non possit, sed sibi relicta quidvis pro quovis arripiat, & veluti navis amisso gubernatore hinc inde fluctuet. Idem planè & in Ebriis contingit, qui vestibus exsutis, nescio quibus in locis se interdum quieti dant, & cùm in cubiculo se versari existiment ac lectum conscendere, per fenestram in plateas præcipites ruunt, sandalia & calceos pro matulâ arripiunt, lectum quo semel egressi, invenire denuò nequeunt, ac excitati tamen, aut manè, nihil eorum quæ peregerunt, recordantur: cohorrescentes sæpè toto corpore, cùm, quas tragœdias ac temperies excitàrint, alios memorare audiunt.

§. 5. Actiones tandem Diurnæ in Somno per ſomnia recurrentes excitare item poſſunt paſſionem hanc. Duplicia ſunt Somnia; Naturalia, quæ Divinis acDiabolicis contradiſtinguuntur. Quædam ſunt *Naturalia in ſpecie dicta*, quæ ex humoribus, temperamento, ac ſimilibus cauſis in corpore latentibus oriuntur, & pro ratione conſtitutionis cordis, ventriculi, epatis, membrorum generationis, totiusqve animalis efformantur. Ita Galenus refert *Libro De præſagiis Somniorum*, fuiſſe qvendam, qvi cùm ſomniâſſet, alterum crus ſibi factum lapideum, mox eâ corporis parte Paralyticus extiterit. Ita Sangvinei nuptiis, luſibus ac choreis dormientes interſunt; Cholerici ſæpè volare ſibi videntur; Phlegmatici per aquas incedunt, & oneribus fugam greſſumque tardantibus gravantur; Melancholici cum tenebris, ſpectris & dæmonibus digladiantur. Phthiſicus quidam cùm ſomniâſſet ſe in ſanguine ſuo natare, & Medici de redundantiâ ſangvinis ſomnium interpretantes, venam incidiſſent, cum ſangvine animam exhalavit. Humorum ibi potiùs redundantia erat, quàm ſangvinis, & aqua forſan in pericardio contenta ſomnium illud cauſabatur, quam pondus duarum unciarum æqvaviſſe ſæpè in iis, qui ex ulcere pulmonum perierunt, teſtis *αὐτόπτης* eſt Excellentiſſimus Academiæ noſtræ Anatomicus, nunc Rector Magnificus, Dn. D. Schneiderus, *Diſp. De Phthiſi, Theſ. VI.* Alius ſtrare ſibi videbatur in ciſternâ ſangvinis plenâ, isqve ſangvinis evacuatione egebat. Quidam cùm ſomniant, urinam reddituros ſe, aut alvum laxaturos, reverâ in lectum poſtulata naturæ deponunt. Alii ſemine turgidi primùm laſcivis ac venereis phantaſmatis titillantur, tùm & ſemen effundunt ipſum. Hinc *ἐξονειρώττοντες*. Nam materia in corpore jam præſtò tùm eſt, quam Phantaſia perſentiſcens ſecundum eam tanquam Exemplar ſuas pingit & fingit imagines. Quia dormientes non diſtrahuntur varietate ſenſuum, etiam levis humorum motus faciliùs & evidentiùs in ſomno percipitur, quàm in vigiliâ. Inde ægrotantium ſomnia accuratè Medici obſervant, tanquam ad

causam & speciem morbi dijudicandam plurimùm conducentia. Quædam verò sunt *Animalia*, quæ ex speciebus ex imaginibus illis proficiscuntur, quas Phantasia interdiu ex operatione sensuum externorum conceptas sibi superstites tenet, & ex iis novas subindè architectatur. Quia enim tùm imagines in spiritûs animales recens impressæ sunt, ideò fixiùs hærent, & per operationem imaginationis nocturnæ faciliùs renovantur. Ita ut plurimùm earum rerum de nocte subit recordatio, qvarum de die operatio. Unde Piscator ille apud Theocritum.

Πᾶσα κύων ἄρτον μαντεύεται, ἰχθύας κ' ἠγών
Somnia sunt canibus panes, mihi somnia pisces.

Et Claudianus *Præfat. Lib. 3. de Raptu Proserpinæ*:

Omnia quæ sensu volvuntur vota diurno,
Tempore nocturno reddit amica qvies.
Venator defessa tono cùm membra reponit,
Mens tamen ad silvas & sua lustra redit.
Judicibus lites, aurigæ somnia currus,
Vanaqve nocturnis metacavetur eqvis,
Furto gaudet amans, permutat navita merces,
Et vigil elapsas qværit avarus opes.

§. 6. Atque his animalibus Somniis occupatos complures Noctambulos evasisse, certo certius est. Levinus Lemnius dicit *de occ. nat. mirac. l. 2. c. 5. ardeliones illos, hoc est, homines inquietos ac jactabundos, qui omnibus se negotiis ingerunt, atq; ultrò citròque discursant, mirisq; utuntur gestibus, in somno exsilire, ac plausum strepitumq; excitare ob simulacra quæ sensui occurrunt, quæq; voluntati atq; actionibus diurnis correspondent.* Pertinet huc Juvenis ille Henrici ab Heer, qvi carmina, quorum hiatum vigilans explere non poterat, semisomnis elaborabat. Alter item Salii, qui cothurnis & calcaribus super fenestram equitabat, & ejusdem artifex, qui nullis indumentis amictus apothecam propriam adibat, eamq; clavibus aperiebat.

Libavius

Libavius *p. 255.* de illo, qui noctu picarum nidum expugnaverat, & pullos indusio circumvolutos secum detulerat, haut præter rem conjectatur, quod impulerit eum cura venatoria, cui interdiu intentus sæpè fuerit. Schenckius *l. 1. Obs. 127.* ex Adr. Alemanno scribit: *A viris fide dignis accepimus pharmacopolam famulum fuisse, qui singulis noctibus insciens surgebat, ut artem gladiatoriam exerceret. Alterum qui cùm circa mediam officinam adornâsset, omnibus apertis immemorem repetiisse lectum. Imo referunt qvendam Parisiis gladio cinctum Sequanam fluvium tranâsse, cumq; interfecisse, quem vigilans interficere proposuerat, ac post patratum scelus domum rediisse.* Sic ipsimet sæpè semisopiti ad actiones consurgimus decepti horâ noctis; dum putamus diem imminere, aut instare horam nobis præfixam, neque tamen, occupati vaporibus & somno, certò judicare possumus, & denuò obdormimus. Spectat huc lepida illa narratiuncula Libavii de famula qvâdam *p. 259. Novi quæ cùm somno occupata in balneo totam peregisset noctem, subiretq; phantasia bubulcum cantu exposcere pecora, repentè ex labro pedibus jam tumefactis & vix officium facientibus nuda prosiliret, caputq; per fenestram obviam effractis impetuosè vitris exserens tunc primùm penitùs evigilaret.* Et ista de proditore qvodam intempestivo *p. 267. Erat quidam alicubi de more solitus captare hominum sermones & acta, eaq; postea ad loci judicem deferre. Hic cùm assidet plenæ convivatorum mensæ, jamque probè potus inciperet connivere somno, verba proditoria sonabat, audientibus reliqvis, quasi judex præstò esset admovens aurem dictis. Ita eum deceperat phantasia & consvetudo prodendi: sed illum quidam cerebrosus & importunus cum scabello correptum medio extendit pavimento, jubens suo loco proditoriam exercere.* Quæ in hominibus quidem hoc minùs mira esse debent, cùm & canes ipsos videamus dormientes pedes aliquando movere, quin & vocem latratui similem non plenam tamen, sed veluti suppressum edere, dum videlicet somniant, se feras insectari, aut aliud quid diurnarum operarum peragere.

§. 8. Nunc ad MATERIAM IN QVA, seu SUBJECTUM Affe-

ctionis hujus conferimus pedem. Serram hic reciprocant Autores, & in quam corporis constitutionem seu complexionem ea apprimè cadat, admodum disputant. Quidam Cholericum Temperamentum præferunt, ob audaciam illam & temeritatem Noctambulorum: quidam Melancholicum, ob fortem & pertinacem imaginationem, ac animi persvasionem. Lemnius *l. c.* ex sangvine turgido ac spumante, tùm æstuoso ferfidoque spiritu hunc motum concitati vult, siquidem homines illi sint raro laxoqve corporis contextu, ac molis exiguæ, sed magnâ spiritûs agilitate, animoqve fervido: unde eveniat, ut si vel externis manuum pedumque articulis prehendant aliquid, se librent ac fulciant, contactisqve tabulatis adhærescant. Horstius *Cap. VI. p. 37.* tale corpus inæqualis Complexionis facit, maximâ ex parte calidæ & siccæ, vulgò Cholericæ dictæ, quod ferventis sangvinis atque spirituum subtiliorum, eorumque multorum copiâ abundet, inque ætate vel puerili, vel adolescentum, vel florenti consistat. *Cap. VII.* intemperiem inæqualem dicit humani corporis, in quâ principales partes, scilicet cerebrum, cor & epar inæqualiter se habeant, excessu tàm magno, ut tunc homo unâ ex parte nimis profundè dormiat, ex alterâ intempestivè surgat. Cerebrum constituit frigidum & humidum, qvò vapores elati superiùs condensentur & quidam nervi musculiqve repleantur, ut in eos nihil spirituum animalium influat. Nam aliàs ob pituitam & bilem pervigilem potius hominem effici, ac phreneticum magis, quam Noctambulonem. Cor & epar autem statuit calidum, & spiritûs ferventiores ac mobiliores. Cœlius Rhodiginus contra *Lection. antiquar. L. 16. c. 37.* Melancholicis assignat hoc, quod colore largiore bilis atræ urgente, animus moveri æquè ampliùs cogatur, unde exsiliant sæpè, surgantqve euntes huc illuc. Diversus item Melancholico habitui tribuit, quod ab omni levi imaginatione & similitudine facilè in proprio affectu decipiantur ac constanter immorentur: testaturque se tales affectûs in consimilibus hominibus curâsse, in quibus etiam spirituum tenuitatem & subtilitatem inesse

esse conjecerit: cùm fuerint loqvaces, prompti, impigri, facilè iracibiles, & versatilis ingenii. Eodem pacto Keckermannus *Syst. Phys. Lib. III. Cap. 29. Quibus Temperamentum est Melancholicum, & praeterea Cerebrum siccum, & deniq; spiritûs subtiles, ferventes & impetuosi, ii facilè in turbulentissimum illud somniorum genus incidunt, quod nocturnas deambulationes & oberrationes causatur.* Et deinde: *Homines temperamenti frigidi & sicci, ut Melancholici, habent imaginationes profundas & fortes: ita ut adstantes clamantes interdum etiam cogitabundus non audiat, & tales homines ab opinionibus conceptis ægrè possunt abduci.* Sed universaliter nihil certi decidi hîc potest: at ubiqve à particulari fit collectio. Non negandum videtur, Melancholicam quandam dispositionem hîc concurrere, & plerumque eos hoc malo laborare, qui ad affectionem hypochondriacam sunt dispositi, teste Dn. Sennerto *Pract. L. 1. pag. 457.* Imaginatio enim in Noctambulis circa unam rem saltem occupatur; etsi in cæteris sopita quasi & ligata sit. Tamen & id attendendum, quod Melancholici ad rem persequendam tardiores, meticulosi & cunctatores sunt: & quod *Etiam sangvineis id evenire potest, occurrente materia gaudii, quam putant prosecutione dignam*, dicente Libavio *p. 262.* Qui propterea *p. 258.* generaliter enunciat: *Qvâcunq; qvis sit complexione, si causæ commemoratæ sint, effectum sequi probabiliter dicimus: quanquam non negamus biliosas naturas & melancholicas, certo tamen limite, admodùm congruere.* Si quidquam pronunciandum hîc, in spiritibus animalibus multum momenti ponimus. Qui ut instrumenta animæ in ejusmodi actionibus organicis communissima sunt, ita si clariores, vegetiores, ac ad motûs suos promptiores existant, hunc etiam effectum facillimè movere ac promovere possunt. Multa paucis, hoc est, more suo B. Sennertus *Instit. p 408. Ut qui Spiritûs habent crassos ac torpidos; nec vigilantes mentis ac sensuum operationes habent subtiles ac agiles, nec dormientes clara somnia sed confusas saltem rerum agnoscunt imagines: ita contrà qui Spiritûs claros habent ac subtiles, & vigilantes ad omnes illas actiones*

 sunt

ſunt aptiores, & ſomnia habent clariora atq; evidentiora, atq; imagines in ſomnis ſæpè tàm clarè diſcernunt, ac ſi vigilantibus offerrentur. His ſi accedat fortis & intenta imaginatio, quæ circa oblatas imagines fortiùs atq; intentiùs verſatur: fit, ut etiam in ſomno veriſſima credant, quæ offeruntur, & maximè eadem, effecta cupiant. Ætates quod concernit, obſervatum eſt, ut infantes & pueri non facilè hoc affecto corripiuntur, ita eum ſenes plerumq; ſpontè deſerere, humorum diſpoſitione ad hoc malum inducendum aptâ mutatâ; adoleſcentes proinde & conſiſtentis ætatis homines eo ſolùm laborare, qui appetitum habent fortem, & affectibus facilè ducuntur. Atqve hæ ſunt Cauſſæ iſtæ Speciales, quæ tamen Generales ſemper præſupponunt tanquam punctum unicum, à qvo cæteræ omnes lineæ ad circumferertiam ducuntur æqualiter.

§. 9. Tandem polliciti noſtri memores, etiam QVÆSTIONES aliquas circa hanc Materiam delibabimus.

QVÆSTIO I.

An Phyſici ſit diſputare de Noctambulis?

Reſp. Diſputant de Noctambulis Medici præclarè præclara multa. Exponunt eorum Naturam, inquirunt in Cauſas, expediunt differentias, applicant curam. Ut hac propter falcem in alienam meſſem mittere, ac ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδᾶν videri poſſimus, qui Phyſicis Scholis hanc vindicamus operam. At ſalva res eſt. Cognatæ quidem & affines ſibi valdè Phyſica & Medicina ſunt, non tamen eædem. Neminem fugit, niſi quem prima Eruditionis rudimenta, unam rem à diverſis tractari poſſe artificibus, abſqve confuſione artificiorum. Sicut Natura non uno modo verſatur circa rem unam: ſic nec ars, Naturæ ſimia. Qvercum vis Solis educit & firmat, aqua putrefacit, ignis abſumit. Eidem faber abaci figuram inducit, ſtatuarius Mercurii, architectus tigni. Et in Scientiis cumpri-

mis

mis hoc obvium. Semper aliud est Materiale, seu Ratio Quæ, & res considerata; aliud Formale, seu Ratio Sub Quâ, & modus considerandi. Sic hoc loco agit Physicus de Noctambulis, sed sub ratione θεωρίας, agit & Medicus, sub ratione πράξεως. Physicus naturam & causas eorum pensiculat, Medicus opem affert. Cùm Physicus desiit, Medicus incipit. Non est cogitandum, quod omnia quæ à Medicis tractantur, tota sint medica: sicut nec omnia, quæ à Theologis, Theologica; Aliud Medicus, & aliud Medicina est, ut aliud Theologus, & aliud Theologia. Non à Personâ seu subjecto, sed à Re seu objecta pendet denominatio alicujus intrinseca. Non quis dicat, sed quid quis dicat videndum. Φυσιολογία Medicorum tota ex Physica est, ad eamque per se & directè spectat. Cùm agunt de temperamento, de Calido Innato, de Spiritibus, de Animæ Facultatibus & actionibus. Παθολογία item ad Physicam referenda, sed per accidens & indirectè. Cùm agunt de Morbis & Symptomatibus. Non ea duntaxat, quæ secundum Naturam sunt, Physici versant ingenium & operam poscunt, sed & quæ præter eam. Ubiqve opposita juxta se posita magis elucescunt: & contrariorum eadem disciplina. Politicus non de Rectis modo, sed & Corruptis Rebus publicis agit. Qvò non conservet eas solùm in flore & vigore pristino, sed ab interitu aut præservet prolabendas, aut vindicet prolapsas. Logicus de bono perinde ac malo Syllogismo est sollicitus. Ethicus in virtutes æquè ac vitia inquirit. Sors eadem Physicam versat, quæ ita nobis Corpora naturalia exhibet, uti mundus illi. Nihil enim Physica aliud, quam repræsentatio totius universi coram mente nostrâ est. Macrocosmus ibi in Microcosmo clauditur. Non autem plura ubique & illibata prorsùs Natura est, sed & labes suas, sed & manes suos patitur. In his cumprimis rebus, quæ ex diversis conflatæ principiis resolvuntur in eadem tandem fatali necessitate, & cladibus ac stragibus innumeris degunt expositæ. Θεραπευτικὴ demùm Medicis vindicatur in solidum. De hâc tabulâ Physicus manum opportunè retrahit, qui contempla-

tur

tur tantùm, non operatur. Et ita qvoqve nos Remedia illa præservativa & curativa, qvæ benè magno numero Horstius Recipere jubet *Cap.VIII. & IX.* ne tangemus quidem. Hoc fatemur interibi, idque grato animo, hilari calamo, Medicorum vitulâ in plerisque his aratum nobis, imò arandum fuisse. In causâ est priscorum Peripateticorum Physicorum ignavia dicam, an ignorantia, an supinus talium contemptus? Qui speculationibus ac subtilitatibus ingeniorum indulgentes unicè, generalia mera sonabant, tonabant, quorum captui non nisi divinæ ac excellentes animæ pares essent: specialia autem omnia, tanquam vulgo ipsi scilicet promiscuè exposita, alto supercilio ridentes susque deque habebant. Secùs quàm Veteres, illi Sapientiæ Antistites ante Aristotelem, qvi vitilitigationibus omnibus omissis Naturam ipsam venabantur, & à fagis ac quercubus discebanr plus, qvàm alii ex mille Magistris. A Medicis ergò nunc tanquam fidelibus Thesaurariis repetenda ea sunt, quæ ad penu nostrum spectant. Quod in alieno agro diu latuit invito Domino, justè meritoque tandem suo possessori restituitur. Neqve enim disciplinæ ac dogmata usu capi qveunt, si vel maximè Jus præscriptionis mille annorum qvis prætendat sibi. Quod semel hîc aberratur, in æternum non emendatur. Veritas una & perpetua.

QVÆSTIO II.

Qvo motu moveantur Noctambuli?

Resp. Motus partium Corporis organici dividitur in Naturalem & Animalem. *Naturalis* non est in potestate animalis, nec excitare eum aut sedare valet cum vult, nervis etiam & musculis non utitur, sed solo temperamento, spiritibus, membrorum fibris. Non paret voluntati, nec seqvitur sensum & appetitum, sed inclinationem quandam naturalem, per quam excitatur ad aliquid motu suo fugiendum aut proseqvendum. Talis est, per quem cor & arteriæ perpetuò pulsant,

ſant per quem expelli amat nociva materia ex cute & carne, in rigore, palpitatione, & motibus convulſivis. Talis eſt, per quem cerebrum movetur in ſternutatione, pulmones in tusſi, ſtomachus in ſingultu, nauſeâ & vomitu, uterus in ſtrangulatione. In hunc amiſit voluntas imperium ſuum quod reſtrictum valdè, non abſolutùm tenet. *Animalis* eſt in animalis poteſtate, poteſtqve ab eo excitari, cùm non eſt, & ſedari, cùm eſt. Sequitur Senſum & Appetitum, ac Voluntatem, & à cerebro per nervos ac muſculos communicatur corpori. Dicitur alio nomine *Progreſſivus.* Subdividitur in Spontaneum & Voluntarium. *Spontaneus* eſt effectus Animæ ſenſitivæ, brutis ac hominibus communis. Seqvitur Appetitum Senſitivum. Primò namqve objectum externum offertur, & per ſensûs externos ac communem à Phantaſiâ receptum, quid ſit, ab eâ cognoſcitur. Tùm attentiùs & accuratiùs perpenditur, commodumnè ſit & gratum, num noxium & ingratum? Cognitionem hanc ſequitur amor aut odium, ſeu appetitus rem gratam apprehendendi, ingratam fugiendi. Appetitum hunc in brutis ſtatim motus ſequitur, & quod ille imperavit, in effectum datur. *Voluntarius* ſequitur dictamen Animæ rationalis, & in ſolum hominem cadit, cum electione agentem. In eo enim inter Appetitum ſenſitivum & motum aliqvid intermedium adhuc. Menti prius offertur appetitus & operationes ſenſuum internorum, ut ab eâ vel approbentur, ut rectæ rationi convenientes, vel reprobentur, ut disconvenientes. Si illud, ſtatim motus ſequitur. Si hoc, pugna excitatus inter Appetitum ſenſitivum & rationalem. Tùm trahit invitos nova vis, aliudque cupido, mens aliud ſuadet. Superior tandem fit, qvi valentior eſt, & facultati motrici motum imperat. Quæ muſculos, quibus ubiqve prædita, contrahit, muſculi contracti tendines attrahunt, tendines attracti oſſa, osſibus motis membrum vel totum corpos de loco in locum transfertur. Mediâ quâdam viâ tùm inter motum Naturalem & Animalem, tùm inter Spontaneum & Voluntarium, incedit Reſpiratio. Qvæ animalis qvidem

non est, cùm is prærequirat sensualem cognitionem, & sensualem appetitionem. At nec ob sensuum judicium respiramus, nec ob affectum aliquem, sed simpliciter ex naturali necessitate. Qui tamen fit à Facultate Locomotivâ Animalis, & musculorum ope perficitur, reduci huc potest. Ita non est simpliciter respiratio in potestate animalis, nec excitatur aut sedatur ad nostrum imperium. Ipsa necessitas nos cogit respirare, cui parere qui recusat, naturam habet resistentem & contranitentem. Unde servus ille barbarus cùm vehementi irâ concitatus mortem sibi consciscere decrevisset, postratus humi, respirationeque cohibitâ longo quidem tempore immobilis erat, postea verò paululùm volutatus, hoc pacto mortuus est, apud Galenum *l. 2. de motu musculor. c. 6.* Ex parte tamen possumus continere spiritum, possumus multum aut parum uno motu inspirare & exspirare. Idem de eo motu dicendum, quo urina & excrementa expelluntur. Suspendere eum item possumus ad tempus, non in totum. Abjiciendus tandem pudor est, cùm urget necessitas. Unde Galenus *cit. l. Nonnulli tacuerunt quidem annum integrum & eo ampliùs, idq; sponte suâ: egestionem verò vel urinam retinere non modò annis sed ne mensibus, quin imò nec diebus paucis, nemo potuit.* Quæritur nunc, quam ad speciem spectet Noctambulorum motus? Ubi naturalis quidem per se cadit statim, & Animalis solus relinquitur. Is verò num Spontaneus, num Voluntarius habendus veniat, disquisitione dignum. Cùm planè vigilant Noctambuli, & cum deliberatione agunt, quod agunt, res parvi momenti, nec peculiare quidquam est. At de hoc dubium, cùm ex parte vigilant, & ex parte dormiunt. Hîc sanè non ad Voluntatis arbitrium, sed ad merum Phantasiæ & Appetitûs sensitivi imperium res suas videntur agere. Obtenebrata ibi mens omnis & obscurata est, & aguntur tantùm Phantasiâ indiscretâ. Non neganda tamen hîc in totum omnis προαίρεσις, ad minimum, quod principium motûs hujus attinet. Verbi causâ, si materfamilias cogitans se claves reliquisse extra

cubi-

cubile, surgat earum assumendarum gratiâ, interim somno prævalente infectâ re ad lectum redeat. Sic opifex ille, cùm forsan præscripsisset sibi pridie summo manè aliquid adendum, nudus de nocte surgens & domo egressus tabernam reclusit suam. Sic alter versûs nocte fecit, & alter picarum nidum exturbavit. Nec obstat, quod non sciant aut attendant Noctambuli, quid agant. Etiam nos multa agimus sine attentione, quæ non facimus sine deliberatione. *Neq; sanè palpebrarum motum semper mente assequeris: neq; cùm concionem habes aut oras, aut disputas, adhibes mentem omnium partium motibus: neq; cùm Athenas adis ex Piræo, omnibus particularibus curarum actionibus. Nam cogitabundi sæpiùs imprudenter peregerunt iter, aut etiam præterierunt locum, ad quem principio proficiscebantur. Utrum igitur ambulatio neq; animæ actio est, neq; motu voluntario fit?* disserit præclarè Galenus *l.c. cap. 5.* Putamus ergò hîc Subjecta discernenda esse. In aliquibus præcessit deliberatio, in aliquibus non. Ubi non præcessit, spontè appetitum sequitur motus ille, quomodo fors & felis & sciurus ita ad nidum arreperent. Ubi præcessit, mistus motus est: voluntarius, quoad inchoationem, spontaneus, quoad continuationem. Uti & aliàs totum hoc negocium Noctambulorum mistum est.

QVÆSTIO III.

Cur Noctambuli ea præstent, quæ præstare aliàs nec vellent, nec possent?

Resp. Qværere posses idem de Ebriis, idem de phreneticis & deliberantibus. Nempè Rationis & Metûs cessatio punctum hîc omne fert. Phantasia & Appetitus in talibus fortior est: mentis verò actiones nullæ, aut obscuræ. In vigilantibus quidem ratio & voluntas in Locomotivam imperium habet; in Noctambulis verò rectæ rationis imperium aut non concurrit prorsùs, aut exiguum valdè & obtenebratum est ob vapores halituosos & pertinaces, officinam mentis cerebrum occupantes. Unde fit, ut ratiocinatio nullas in somno con-

ſideret circumſtantias, & memoriâ quieſcente Errores Phantaſiæ non corrigantur, ipſiqne ſolo appetitûs ductu cum ſummâ incogitantiâ actiones ſuas aggrediantur. Accedit timoris abſentia: qui ut peſſimus in dubiis augur, & egregia ſæpè facinora intercipit: ita cùm deeſt, multa fiunt, fieri quæ poſſe negabamus. In Oratore & Diſputatore metus interdum bonam cauſam malè agendo perdit. In militibus, in amantibus, in potantibus item metus impedit, quod animus & corpus poſſet. Contrà audentes fortuna juvat, & plurimis audacia pro virtutibus fuit. Sic & hîc Circumſtantiæ omnes, à quibus periculi admonerentur aliàs, negliguntur. Phantaſiâ in unum duntaxat intenta in hoc prævalet, ſpiritûs non ſunt diffuſi, ſed in unum collecti, nulla damni æſtimatio, nulla loci ſuperioris cum inferiore collatio, intuta omnia tuta ſunt. Hic Langius *l. 2. Epiſt. Medic. Ep. 45. Caſus ex abrupto, ſcribit Albertus, iis qui excelſa conſcendunt, tunc maximè accidere ſolet, cum pericula agnoverint & formidare cœperint, eoq; virtutes roboris ad cur formidoloſum confluunt, lacertos, nervos, muſculosq; virtutis motivæ organa deſtituunt. Dormientes igitur ſecuriores ſunt, acclamationibus verò experrecti præcipites cadunt.*

QVÆSTIO IV.

Cur Noctambuli non decidant, cùm editiora loca conſcendunt?

Reſp. Lemnius cauſam ponit in levitate corporum, quæ flatibus turgeſcant, & ſpiritu aëreo impleantur, & ita in ſublime rapiantur, ac ſuſpenſo leniq; gradu, ut limaces & cochleæ, quæ cùm oculis carent, protenſis cornibus prætentant iter, editiſſima quæque perreptent. Non ſecùs ac turbinata illa dolia, quæ apud Belgas Oceani oſtiis injiciuntur, licet ferreis laminis obducta ſint, cateniſq; revincta, ac ponderoſo ingentiqve ſaxo alligata, fluitent tamen ac mari innatent, nec niſi dehiſcant, minimum devolvantur, quoniam ſpiritu ac flatibus, aëreq; copioſo, adhibitis in eum uſum follibus, oppleta ſint. Sed hoc rationi conſonum non eſſe, DN. SENNERTUS dicit *In-*

ſtit.

ſtit.pag. 411. & rectiùs cum Langio ad formidinis abſentiam refertur. Quod & Lemnius ipſe facit, cùm ſtatim ſubjicit: *Quod verò inoffensè nulloq́ corporis incommodo iſta peragant, nec labi contingat aut in præceps agi, eo fit, quod ſenſim ac nullo metu nullâq́ trepidatione aut diſcriminis reſpectu iſta aggrediantur, quæ plerumq́ vigiles à rebus arduis ac periculis vel avocare ſolent vel deterrere.* Libavius p. 256. addit, quod ejusmodi hominibus ſint membra exſucca, hirtaq́; & levia, ſpiritûs item agiles, & extrema penè ἀναίσθητα. Non moveri eos ut cochleas, ſed ſaltu pernici corpus librare, cumq́; non ſentiunt aſperitates prementes admodùm, non remittere facilè; ſicut & nos, quæ per media, veluti chirothecas aliavè inſtrumenta corripimus, arctiùs teneamus, quàm nudâ manu. Adjicit conſuetudinem in alto verſandi, & cerebrum ſiccius inſtar avium vel tegulariorum, nervos item & alias partes uſu crebro firmatas. Idem conſpici in damarum venatoribus: idem accidiſſe in Alexandri commilitonibus, dum in altiſſimam rupem contenderent, licet non planè deſtituti inſtrumentis.

QVÆSTIO V.

An Noctambuli clauſis, an apertis oculis peragant res ſuas?

Reſp. Lemnius & Bodinus ſcribunt, clauſis oculis eſſe Noctambulos, Salius apertis. Sed diſtinguunt Libavius p. 260. & Sennertus *Inſtit. p. 410.* Qui per conclavia nota ſaltem incedant, poſſunt id facere ſemiapertis aut planè clauſis oculis, non ſecus ac cæci, quibus omnes anguli domûs noti ſunt. Qui autem domo exeunt, fores aperiunt, ſeras recludunt, ſcalas gradûsq́; ſcandunt, tecta exſuperant, vel apertos habent oculos, vel brevibus intervallis modò claudunt, modò aperiunt. *Novimus* (ſcribit Libavius) *qui retulit nobis, ſibi puero in ſomnis occurriſſe, quod in oppido adeundus eſſet patruus. Itaq́ phantaſia inductus non habitâ ratione circumſtantiarum ſurrexit, preceſſitq́ nudus usq́ ad portam, quam cùm clauſam invenit, re-*

gressus est, interim vigilem in medio vico sedentem observans, quæ res non potuit planè clausis oculis peragi.

QVÆSTIO VI.

An concidant Noctambuli, si nomine proprio vocentur?

Resp. Lemnius scribit: *Cum ista obeunt, si illos notâ agnitâque voce, aut eo nomine, quo Christianismo sunt insigniti, ac Baptismo initiati, compellare pergas, ex consternatione incussoq; terrore ac perturbatione decidunt, dissipatis scilicet spiritibus, discussaq; vi ac facultate naturali, quâ illa perfecerunt: itaq; permittendi sunt suo motu ferri, atq; in priores sedes se spontè recipere.* Bodinus narrat, fuisse quendam noctu agitatum, quem socius qui cum ipso cubit, cùm in profluentem ire animadvertisset, non processerit quidem ulteriùs, sed ne ille procederet, nomine appellârit: sic eum repentè corruisse dormientem, & submersum esse. Horstius ait *p.7. Accidit cuidam ambulanti in somno, ut ascenderet rotam, quâ sarcinæ attrahi & demitti solent, in eâ postea scilicet mobili sederet, donec spontè descenderet, & silens in lectum sese iterum conferret. Paterfamilias hæc cognoscens, & cum admiratione spectans, aliquando substernit lectulos multos, sedentem acclamat, appellatione nominis sui è somno eum excitat, unde ambulo terrore quodam, sine noxâ tamen, cadit, neque posthâc unquam in somno ambulat ampliùs.* Salius Diversus habet: *Dum hæc scriberem, accersitus sum ad invisendam adolescentulam annum decimum nonum agentem, quæ decimo die à puerperio mediâ nocte somnians se quadam domestica negocia acturam esse, è lecto hieme sæviente, nullis indumentis amicta surrexit, & cùm è thalamo hac imaginatione ducta in partes domûs inferiores descendere vellet, strepitu facto dum ostium aperiret, matrem, quæ unà cum filiâ in eodem lectu decumbebat, expergefecit, quæ mater, novitatem rei admirans, filiam altâ voce clamans, eam increpando vocavit: ex quâ voce expergefacta ipsa filia ad lectum*

ctum redit, affirmans se nisi à somnio excitata fuisset, è thalamo exituram esse. Hinc viginti qvatuor dies cum marito dormiens, similiter circa nonam horam noctis subitò è lecto exsiliens & ad ostium properans, expergefacta à viro eam altâ voce vocante, flens & tremens ad lectum regressa est, narrans se somniâsse, fugere ex lecto tunc temporis voluisse, ad evitandam vim sibi illatam ab homine, venerem ab eâ expetente. Possumus admittere id quidem, quod acclamatio fortis in causâ sit. Terror enim tùm incutitur, & inde spiritûs illi qui antè copiosi collectique hærebant in exterioribus membris, manuum cumprimis ac pedum, ad cerebrum & cor tanquam officinam suam & asylum ultimum retrogrediuntur, ac partes antè insessas destituunt. Concidit ergò & decidit, instrumentis his qui caret. Sicut & nos cùm profundis cogitationibus intenti mentem in unum coactam habemus, ad bombardæ displosionem improvisam, aut tintinnabuli etiam pulsum subitum consternamur & exanimamur oppidò. At quod specialis hæc Nominis proprii acclamatio id præstet, nondum persvaderi nobis patimur. Cur Nominis communis seu appellativi idem non præstet, cur hujus nominis proprii, & alterius item, cur unius nominis, & non integræ orationis? Quantitatis ex se nulla est efficacia. Benè Keckermannus *Lib. III. Syst. Phys. c. 29. p. 453. Quod autem nonnulli existimant, si proprio nomine Noctambulo inclametur, in præsens discrimē incidere propter eā ipsā nominis proprii appellationem, ut quidem inter alios sentit Lemnius, id superstitiosum est, & ratione caret. Neq; enim Syllabarum ista est efficacia, sed soni & clamoris, quo clamore excitantur spiritûs, ut à membris exterioribus refugiant versus cerebrum & cor, atq; ita nervi, musculi & lacerti suo quod antè habebant robore priventur.*

Atq; hæc sunt, quæ super hâc elegantissimâ NOCTAMBULORUM materiâ afferenda ducebam. In quibus si non ingenii ac judicii sublimioris laudem acquisivero mihi, Methodi tamen ac industriæ nec amisero. Tenuissimis lineolis & in exiguâ tabellâ designare, quæ alii ingentibus in mappis & grandi Penicillo describunt, non artis nullius videtur.

Per-

Permiſta ſunt in rebus omnibus claris obſcura, dubia certis. Ubi clariora propter dubia aliqua non abjicienda protinùs, nec dubia tamen ad primum ſtatim contuitum adſpernanda penitùs. Explicanda eſt Natura latens per patentem, non implicanda patens per latentem. Concludo graviſſimâ & memorabili Galeni ſententiâ *l. de motu muſc. c.5.* *Qui evidentibus fidem abrogat, ſenſûs eſt expers: qui verò de dubiis promtè pronunciat, temerarius eſt: qui autem propter obſcuritatem, quæ in his ineſt, quæ etiam clara ſunt, habet ſuſpecta, de numero eorum eſt, qui dubitationibus oblectantur: porrò qui non modò ſuſpecta habet, verùm etiam quæ clara ſunt, propter obſcuritatem dubiorum ſtudet evertere, extremè fatuus eſt. Ne igitur ſpontè ſenſum nobis ipſi adimamus, neque dubitationibus æmuli, aut fatui, aut aliud ejusmodi quidvis ſimus; ſed quod tùm rectum eſt, tùm modeſtis hominibus convenit, quod quidem evidens eſt, promtè accipiamus: quod autem eſt dubium, per ocium quæramus.*

SOLI DEO GLORIA.